


~~124~~

~~89~~

~~773~~

79 25 Oct 2-7

MUSEUM OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO	
CLASS	A
NUMBER	85
DATE	
BY	
REMARKS	224



2 400 40

Shelf


~~124~~

~~89~~

~~773~~

74 Nota 2-7

Biblioteca Universitaria	
Clase	A
Sección	5
Título	
Auto	224



R. 3451

AD ILLVSTREM ET  
INCLYTVM PRINCIPEM

EDVARDVM SEMAVRV M,

Hertfordiæ Comitem, & Bellocam-

pum Baronem, Nicolai Aleni

Essentiani Angli, Arati

Phænomena.




PARISIIS,

Apud Andream Wechelum, sub Pegaso,

in vico Bellouaco: Anno Salutis

1561.



3

ILLVSTRI PRIN-  
CIP I ET EXCELLENTI  
VIRTUTE PRAESTANTI EDV AR-  
do Semauro Hertfordia Comiti, & Bel-  
locampo Baroni, Domino suo Cle-  
mentissimo, Nicolaus Aenus  
Essentianus Anglus,  
S. P. D.



*T si me magno iactatum turbine rerum,  
Irrequieta fugat doctis fortuna Camce-  
nis,  
Nec potis est dulces Musarum prome-  
re curas  
Mens: adeo variis exaestuat acta peri-*

*clis:*

*Hoc tamen expressum dono tibi carmen Arati:  
Non pol quod quenuam vexare est grata voluptas,  
Nec quia nam solus Helicon recludere sperem,  
Aut aequata meis aliorum scripta refellam.  
Sed quia testatum cuperem post omnibus esse,  
Officiumque in te nostrum mentemque benignam.  
Ipsa tibi quando ante alios doctissima Pallas  
Addidit ingenium, mentemque dat insuper altam  
Nimbipotens pater, & veri pernoscere sensum.  
Accipe nunc quod opus tibi surgit, & inclytus adsis:*


*A ij*

4  
Astrorumque unâ motus euoluere mecum  
Digneris, tacitoque cadentia sidera mundo:  
Quæ prius aeterno celebrarunt carmine Grai,  
Nunc demum Ausonii (cæptis deus annuit altis)  
Passim vulgarunt præclara reperta poëtæ,  
Gestantque exuias & pulchra è gente trophæa,  
Prædamque auertunt Graiis opulentaque gazæ:  
Hæc primus Latio Cicero decus extulit altum,  
Ausus Aratæo deducere carmine musas.  
Quæ nobis (tantum valuit superare vetustas)  
Ætas deleuit propè semirefectaque præbet  
Fragmina, & ingenius variis sarcita relinquit.  
Ergo adsis: nostrum nec dedignare laborem,  
O fœlixque adsis laudis pars maxima nostræ  
Inceptumque tibi iam pridem perlege munus.  
Sic & flammifero torquet qui cardine mundum  
Aspiretque tibi & præstantibus annuat ausis.  
Hinc demum tanto cum terra inuidit honori  
Egregium fama uectet super ardua cœli:  
Gens ubi cœlestis laudes & carmina dicunt,  
Aligerumque chorus miscet procul omnia plausu,  
Et festis refonant latè clamoribus astra.



5  
AD ILLVSTREM ET  
INCLYTVM PRINCIPEM

EDVARDVM SEMAVRVM,  
Hertfordia Comitem, & Bel-  
locampum Baronem, Ni-  
colai Aleni Essentiani  
Angli Arati Pha-  
nomena.



B Ioue principium musæ, quem pri-  
ma tacere  
Nos non orsa sinunt, indictum aut  
carmina poscunt:  
Namque Iouis fora sunt passim sunt  
compita plena,

Nec portus, nec sunt expertia cœrula ponti  
Fulcit inexhausto mortalia numine cuncta.  
Ab Ioue principium generis: Iouis omnia plena,  
Ille etiam mitis mortalia pectora mulcens  
Omina lata dedit venturi præsciis æui.  
Suscitat & segnes in opus per rura colonos,  
Quos virtus premit & versat penuria habendi.

Indicat & quando vertatur vomere terra,  
 Glebaque se putris frangenda bidente resoluat:  
 Insuper & menses & tempora commoda signat:  
 Credere semen humo & plantis pratendere sepe.  
 Nam pater hæc cælo defixit signa sereno  
 Sydera discernens, stellis distinxit & annum,  
 Quæ sua cuique rei designent tempora certa,  
 Fœdere quò stabili mortalia corda fruantur.  
 Hunc ergo primum semper venerantur, & omnes  
 Postremum donis onerant, precibusque fatigant.  
 Salve magne pater, tuque & quæ secula prima:  
 Ipsa tuis stupet ostentis exterrita tellus,  
 Tuque senescenti dispensas tempora mundo.  
 Vos etiam saluete mihi Iouis inclyta proles  
 Musæ, dulcisono mulcentes sydera cantu,  
 Numine sit vestro mihi fas errare per altum,  
 Lucentemque globum, abstrusosque retexere cursus  
 Astrorum, rapidique rotata volumina cæli.  
 Cætera diuersos reuoluta agitantur in orbes  
 Plurima, perpetuo cæli contorta meatu.  
 At manet immotus necquicquam feruidus axis,  
 Suspensasque tenet medio libramine terras  
 Et circum rapido cum cardine fertur Olympi,  
 Qui geminum surgit protento vertice acumen,  
 Extremumque poli seruant hinc inde corusci.  
 Sed nobis vertex alter deuexus: at ille  
 Aduersus Boreæ spectans penetrabile frigus  
 Oceani se sublimem de gurgite tollit.

Hunc

Hunc geminae tortu circumplectuntur utrinque  
 Arcti, quas Graij cognomine plaustra vocarunt:  
 Hæcque reclinantes lumbis capita alta superbe,  
 Cernere erit toto pronas flamme scere cælo  
 Decluesque armos, obnoxia tergora ferre.  
 Namque olim perhibent (si famæ credere dignum est)  
 Sublatas summi patris Dictæa per arua  
 Numine, & ætherei fixas super ardua cæli:  
 Illum cum in cunis fugientem torua parentis  
 Ora, & complentem latè vagitibus agros  
 Vallibus in Dicti, qua summa cacumina surgunt  
 Ida: muscoso procul occulere sub antro  
 Dictamo fultum molli, & bene olentibus herbis,  
 Perque unum tardis completum mensibus annum,  
 Dictæi clam Curetes fouere repostum,  
 Saturnique iram patris auertere nefandam.  
 Harum quæ prima est, Graijs Cynosura vocatur:  
 Illam Helicen dicunt: Helice vada salsa Pelasgi  
 Sulcantes discunt terris aduertere puppes,  
 Qua freti laxant Phœnices classibus austros.  
 Hæc etenim claro latè micat igne per astra  
 Stellantique datur spectari lucida cælo,  
 Cum primum se nox intendit plurima terris.  
 Altera parua quidem sed nautis commodus usus:  
 Tota adeo breuiore agitur contorta rotatu.  
 Hæc etiam tumidis intendunt carbasa ventis,  
 Sidonij recto currentes æquora cursu,  
 Quas inter rapido veluti de gurgite vortex,

A iij

Cœruleus per aperta Draco (mirabile dictu)  
 Labitur: inque sinus spatiosa volumina cogens  
 Mille vias flectit varius, totidémque reflectit.  
 Cuius de spira diuersa hinc inde coruscant  
 Arcti, marmoreo metuentes æquore tingi.  
 E quibus hanc summo cauda diuerberat ictu,  
 Ast illam spiris ingens interfecat errans,  
 Voluitur: inque caput sinuosus desinit Arcti  
 Ora Helices feriens extremo verbere caudæ.  
 Spira sed è Cynosura ortum trahit: inde pererrans  
 Pérque caput sinuans nodosa volumina carpit,  
 Inque pedis summum deuoluitur hispida lapsa,  
 Rursus & enolvens ingentes explicat orbes.  
 Olli non ignis tantum insedit caput vnus  
 Æmula sed radiis aliorum lumina surgunt:  
 Tempora nam gemino latè splendore relucet,  
 Flagrantésque micant oculi, totidémque refundunt  
 Lumina: squamosi que tenent simul ora Chelidri.  
 Sola per extremam maxillam stella resedit.  
 Hinc caput obliquat prono sub pondere nutans,  
 Obtutúque hæret maiori fixus in orsa:  
 Tempora quæ vergunt sed enim declinã dextra  
 Oraque in oppositam despectant cernua caudam.  
 Hoc caput à nostris oculis se subtrahit inde  
 Quà simul occasus concurrir & ortus in vnum.  
 Voluitur hinc defessa viri pallentis imago  
 Multa laboranti similes, iam iamque ruenti.  
 Fama latet: nec pro certo perlata feruntur

Quæ

Qua demum pœna mulctatus pendet ibidem:  
 Illum de genubus referunt, sed nomen habere,  
 Quod genubus claudo similis, vestigia firmet.  
 Olli supplicibus tenduntur brachia sursum  
 Palmis, húcque illuc totam distenditur vlnam.  
 Desuper & duro consurgens verbere in auras,  
 Squammigeri pede depresso terit ora Draconis.  
 Hic etiam insignis claro micat igne Corona,  
 Quam dederat Cressæ monumentum virginis esse.  
 Mente agitans Liber thalamos letósque Hymenæos,  
 Et dorso fessæ persultat imaginis ardens.  
 At capiti nixum, summo quâ desuper urget,  
 Cernere erit serpentigeri caput, arduaque ora.  
 Hinc ipsum aspicias rutila statione potitum:  
 Usque adeo capiti subluceat lumen honestum,  
 Pérque humeros partes sese diffundit in omnes,  
 Qui demum multa clarescunt nocte videndi,  
 Vel medio mensem Latonia diuidat orbe.  
 At non equato respondent lumine palma,  
 Tenuis enim complet traiecta foramina splendor.  
 Attamen & clarae sunt hæ, nec lucis egentes,  
 Et duplici colubrum constringunt robore pressum.  
 Ille tumens spiris ingentibus alligat artus,  
 Bis medium amplexus, bis squammea terga reuolvens.  
 Nititur immotus contra serpentiger hærens,  
 Et pedibus monstrum horrendum deturbat, utrisque  
 Instat: & insistens pectúsque & lumina calcat.  
 Sed geminas inter non æquis partibus Anguis

B

Torquetur palmas : minimum nam dextra coërcet :  
 Plurimus æthereas læua confurgit in auras,  
 Signatque extremum maxilla affixa Corona.  
 Parte alia versas infra sub pondere spira,  
 Cernere erit magnas sese diffundere Chelas :  
 Sed radiis hæ non ignescunt, lumine cassæ.  
 Post Helicem plaustrum similis versatur agenti  
 Arctophylax : meruit qui nomen habere Bootis,  
 Temoni iunctam : quia pulsat cominus Arctum.  
 Hic totum se dat manifestum nocte serena.  
 Inferiora tenet rutilans qua Balthæus ardet,  
 Arcturus radians per aperti sydera cæli :  
 Hinc geminis pedibus se subiicit innuba virgo.  
 Quæ scintillantem manibus præ tendit aristam.  
 Hæc siue Astræa deducit origine stirpem,  
 Quem veterum memorant astrorum numen habere :  
 Siue aliunde genus referens, secunda residet.  
 Fama volat mentes hominum diuersa pererrans,  
 In terris solitam diam traducere vitam.  
 Namque illam perhibent gentes frenasse superbas :  
 Non cætus hominum fastidia longa trahentem :  
 Non veterum turbam vitasse per oppida matrum.  
 Diua aliis nullo discrimine mista sedebat,  
 Iustitiámque illi nomen fecere priores.  
 Compita tum primùm patres videre coactos,  
 Curiæque authores sensit, rerumque magistros.  
 Ipsa dabat leges populis dea, iuræque sancta,  
 Turrigerasque urbes consultis nobilitabat.

Nondum

Nondum seditio turbauerat inuida gentes :  
 Nec rabies sæuas armauerat horrida dextras :  
 Nondum vulnificos ferrum conflauerat enses,  
 Marti facturos belli simulacra cruenti :  
 Sed placida demum degebant pace per orbem  
 Securi victus, defunctorumque laborum.  
 Non studium fuerat magnum maris æquor arare :  
 Nec merces pelago mutabat nautica pinus.  
 Omnia liberiùs præbebat semine tellus,  
 Ingemuitque ultrò depresso taurus aratro.  
 Perstitit illa hominum non dedignata labores,  
 Aurea dum regerent pacatum secula mundum.  
 At postquam terras argentea polluit ætas,  
 Spectabat rarò mortalia fata reuoluens,  
 Præ desiderio morumque virumque priorum,  
 Aversa populos mente in peiora ruentes.  
 Sæpe tamen memorant caderet cum vesper Olympo,  
 Linquntem montes, atque inuisa lustra ferarum.  
 Triste supercilio solitam descendere solam :  
 Nec blanda quenquam dignatam voce per arua.  
 Ad magnas tantum quoties diuerteret urbes,  
 Vita illis ignominiam increpitasse seuerè.  
 Non pudet ò nunquam monitis meliora sequenti  
 Numine, me læuam nunc vestra in vota vocare ?  
 Vos noua progenies, obliti tempora patrum,  
 Aurea qui primo labentia secula mundo,  
 Vnanimes placida rexerunt pace per orbem.  
 Idem post ruere, ac retrò sublapsa referri

B ij



Omnia viderunt, nec vos sententia mutat,  
 Quos nunc maiorum exutos melioribus annis,  
 Deteriora manent, & vos vestrosque minores.  
 Bella etenim vestris arsura penatibus addam,  
 Ipsaque purpureo manabit sanguine tellus:  
 Nec requies fessis dabitur curisque leuamen.  
 Hac ubi dicta: volat pernicibus aurea plantis  
 In montes: linquens inuisas oppida sedes.  
 Illa etiam postquam perierunt secula fato,  
 Protinus inuentrix scelerum se durior etas  
 Effert: progeniesque infestat ferrea mundum,  
 Quae primum versans incurua forcipe ferrum,  
 Stricturas chalybum rigidos conflavit in enses:  
 Et duro tauros moliri vomere terram  
 Assuetos mensis gens est epulata superbis.  
 Deserit extemplo populorum immitia regna  
 Virgo: stellantisque volat super ardua caeli.  
 Hunc sortita locum, quo plurima nocte serena  
 Lumine flammifero radians agnoscitur astris:  
 Qua sua contorquet late piger ora Bootes.  
 At geminos humeros, qua pars supereminet ala  
 Dextra, sydeream flammam vomit arduus ignis:  
 Has inter stellas non grandior emicat ulla  
 Quae tantum longo tendit per sydera tractu,  
 Quantum Helices, claro qua signat lumine caudam.  
 Grandis & haec: & quae simul illius emula luci,  
 Diffundunt radios per amica silentia noctis:  
 Astra pari diuersa procul splendore coruscant,  
 Quae

Quae non usque acie fas est discernere caelo.  
 Ante pedes geminos radiat pulcherrimus ignis,  
 Insuper & pronis lux emicat una sub armis.  
 Hinc geminae lumbisque ferae genubisque residunt.  
 Vtterius verbis quid tendam aut singula narrem?  
 Omnes obscurae sunt, & sine nomine vulgus.  
 Inferiora tenent subter Gemini caput altum  
 Connexi: medium terit Arcti sydere Cancer.  
 Pulsantur pedibus villosi terga Leonis  
 Igniferi, & rutulis armati corpore flammis.  
 Illius auricomus cum sol immittit habenas  
 Sedibus, & late vacua dominatur in aula:  
 Tum Phaeus rapido feruet violentior axe,  
 Et viduata suis iam squalent frugibus arua.  
 Vna bella cient animosi turbine Etesiae,  
 Crebrosque horrisoni inuoluunt ad littora fluctus.  
 Ne mihi tum libeat rostratis findere pontum  
 Nauibus, & tumido lentare in marmore remos.  
 Quin placeat fluctus quae temnat caerulea puppis,  
 Et vada tuta secet patula quae salsa carina.  
 Expandantque sinus pulsataque carbasa flabris,  
 In ventum memores clauos torquere magistri:  
 At tibi si Aurigae radiantia lumina late,  
 Multoque Aurigam libeat spectare coruscum  
 Igne: nec Hadorum nomen peruenit ad aures  
 Et Caprae: quos undisonum vidisse per equor  
 Acta virum iuuat, disiecta corpora puppe:  
 Cernere erit totum Geminorum parte locatum  
 B ij

Ingentem læua: nutantem vertice prono  
 Oppositam in Helicen: humero sacrata resedit  
 Læuo Capra, Ioui perhibent quam plena dedisse  
 Vbera, cum vasta ille inter spelæa lateret.  
 Oleniam fecere Iouis noua nomina vates,  
 Illa quidem grandi, claroque est sydere nota:  
 At qua summa manus Aurigæ brachia nectunt,  
 Obscurum fundunt Hædi mortalibus ignem.  
 Parte alia pedibus lapsans se subiicit ingens,  
 Elato Taurus consurgens vertice in auras.  
 Cornua tantum armique caputque videnda patefcunt:  
 Nec meliore datur caput internofcere signo,  
 Quàm quibus ardescit flammis utrinque coruscis.  
 Vsq̄ue adeo radiis obsident undique frontem.  
 Non famæ nec sunt expertes luminis illæ:  
 Nam cui non Hyadum auditum inter sydera nomen?  
 Attollit sed enim qua se de vertice læuum  
 Cornu: quaque iacens Tauri pes dexter adheret  
 Aurigæ: solo possedit lumine stella.  
 Condensæque omnes unâ pariterque feruntur.  
 Attamen aduerso Taurus prior occidit astro  
 Cum pulchro terris apparet Myrtilus ore:  
 Myrtilus in cælo, pelagi sub gurgite Taurus,  
 Ambo unâ quamuis pleno se lumine iactent.  
 Nec te transierim non dictum carmine nostro,  
 Curis qui variis traxisti nobilis æuum,  
 Cuius in athereo gens tota relucet Olympo,  
 Iaside Cephæi summi Iouis inclyta proles:

*Voluitur*

Voluitur hic adeo Cynosuræ ad terga reflexus,  
 Tendenti similis geminas ad numina palmas:  
 Tantoque à cauda spatio distenditur ima  
 Ambos usque pedes, quantum pes de pede carpit.  
 Nec procul hinc flagrans ubi cingit Baltheus illum,  
 Si modò suspicias, dabitur tibi cernere clarè:  
 Primo quâ flexu sinuosus labitur Anguis.  
 Infælix hic non magna sub imagine lucet  
 Cassiope, Lunæ radiis obnoxia surgens.  
 Non etenim multæ splendorem luce ministrant  
 Alternæ stellæ, quæ totam ex ordine stipent.  
 Qualis ferratis portæ cum postibus altis  
 Aptatur clavis: resonat iam lamina ferri,  
 Actaque profiliunt arguti vincula claustris,  
 Perque cauas ligni latebras molimine tendunt,  
 Subnectuntque fores: stridet sub pondere cardo.  
 Talis dispositis apparet corpore stellis  
 Distendens humeros, geminasque per æthera palmas.  
 Iratam dicas natam deflere relictam.  
 Nec procul hinc cælo versatur tristis imago  
 Andromedæ: qualis quando decus addidit altum  
 Alma parens: nec te teneat tum dira cupido.  
 Iccirco magis ut credas hanc nocte videndam.  
 Sic demum illa comam, roseo sic emicat ore,  
 Sic lucent, humerique pedumque extrema coruscant,  
 Pallaque flammanti dependet lutea zona.  
 Pœna manet cælo, nudataque brachia sursum  
 Tendit: ceu saxum aut fuerit Marpesia cautes.

B iij

Insultat sonipes, & quadrupedante sonore  
 Ungula stelligeræ diuerberat ardua sedis,  
 Exultatque solo, aethereo splendore coruscus,  
 Vertice contingens summam Cephæidis aluam.  
 Funditur hîc ignis gemina statione potitus,  
 Huius quâ mediam radiis subnectitur aluam,  
 Illius in summo qua iactat vertice lumen.  
 Præterea lucent tres per latera ardua & armos  
 Cornipedis, paribus stellæ discrimina cuncta,  
 Carpentis spatii: reliquis non luce secunda  
 Equatûmque tenent formæ glomeramen Olympo.  
 At squalet macie ceruix arguta, capûtque  
 Vtrâque sic posita obscuro quia lumine sordent.  
 Hic etiam sonipes, quâ fræna micantia mandit,  
 Vltima collucens maxillæ stella resedit:  
 Quattuor hæc meritò certare prioribus ausa  
 Quæ latè obsidunt totum statione superba.  
 Nec tamen hic fundit manifestam corpore formam  
 Quadrupedis: mediam nam quâ subnectitur aluam,  
 Corpore semifero circum conuexa rotatur.  
 Hunc olim memorant Heliconis vertice summo  
 Elicuisse, undam proprio de nomine dictam,  
 Cùm nondum scatebris fons periuga volueret amnem  
 Persultans donec sonitu ferit unguia montem,  
 Vndantèsque pedis latices sub verbera fudit,  
 Et durum pulsu rupem tremefecit hiantem.  
 Hinc primi inuentum montis per deuia fontem,  
 Nomine pastores vulgauerunt Hippocrenen.

Vatibus

Vatibus ille quidem Aoniisque sororibus altam  
 Indidit & famam, & primæ libamina musæ.  
 At medium sonipes se tollit in æthera pennis  
 Obtinuitque locum: quo clarus cernitur astris.  
 Hunc Aries propter torquetur corniger hærens  
 Torridus æternum qui sydere plurimus ardet.  
 Et longo demum tractu compulsus in orbem  
 Ille Lycaonia peragit non segnior Arcto.  
 Attamen & radiis caret hic, & lumine cassus,  
 Non potis est per se, noceat modo Luna, micare.  
 Hunc tu discernes rutilam propè tangere Zonam,  
 Ipsius Andromedæ tristi sub imagine fultum.  
 Hinc mediam cœli partem terit arduus: unde  
 Ingentes sese diffundunt sydere Chelæ,  
 Quæque Orionem subnectit Balthens ardens.  
 Est etiam Andromedæ fixum sub pectore signum,  
 Quod positu terno laterum libramine pendet:  
 Deltoton nomen Graij fecere vocantes  
 Cuius inæquatum formantur bina tenorem,  
 Quod superest spatium arctatur breuiore coactum.  
 Nec mora: confestim patet angulus iste videndus,  
 Vsq̄ adeo stellis densatus utrinque relucet.  
 Lenibus at flabris Aries mage subiacet Austri,  
 Quem superant positi sub eodem flamine Pisces:  
 Quorum qui prior est paulò prælabitur alter,  
 Et magis horrescit Boreæ sub frigore adustus.  
 Hinc ceu bina forent longi retinacula ductus,  
 Composita dicas serie constringere caudas,

C

Quæ tenet elucens radianti lumine stella:  
 Hanc soliti veteres socialem dicere nodum.  
 Nec te quærentem decet astris multa morari.  
 Andromedæ sit læua humerus tibi parte locatus  
 Signum quo possis Borealem noscere Piscem.  
 Namque sibi haud aliam stationem vendicat ille.  
 Inde pedes, Persei certissima signa futura,  
 Suspice: robustosque humeros ut desuper urgent,  
 Quæ caput horrifonis Aquilonibus arduus infert.  
 Hinc dextram torquens, sedes intendit ad altas  
 Cassiopæ: atque pedem celeri ceu concitus acer,  
 Quem premeret cursu, passus distendit in amplos.  
 Pulvereos artus festinans præpete planta:  
 At qua parte genu dat sese cernere læuum,  
 Pleiades pariterque omnes circumque rotantur  
 Obscuræ radiis, magno nec lumine claræ:  
 Has olim perhibent septenas ordine totas  
 Quarum sex tantum cernuntur nocte serena:  
 Haud equidem credo pereat quia funditus unâ  
 Nec genus obscurum, noménque accepimus ipsi,  
 Nec frustra veteres celebrarunt carmine vates.  
 Æterno septem dignati nominis æuo.  
 Alcyone Meropéque Celenóque Steropéque  
 Taygetéque simulque Electra & candida Maia.  
 Paruæ sunt omnes. pleno nec lumine turgent.  
 Inclyta sed famæ debetur gloria tantæ,  
 Noctes atque dies labuntur: Iupiter author  
 Qui dedit æstivi prædicere temporis ortus

Atque

Atque idem brumam monuit signare futuram.  
 Voluitur his annexa Fides sub imagine parua  
 Quam teneris fertur manibus Cyllenius olim  
 In terris fecisse, lyrámque exinde vocasse:  
 Ipse dehinc artis cælo memor intulit alto,  
 Ignotóque dedit simulacro iungere sedem,  
 Cuins tacta genu læuo per crura volutat:  
 Extremum tamen aduersos ferit alitis artus,  
 Totaque fixa genu manet & caput illius inter  
 Peruolitat cælum qui versicoloribus alis.  
 Huic obscura manet pars astris luminis expers.  
 Emicat at radiis pars altera luce coruscis:  
 Illa tamen perstat volitanti picta volucris  
 Assimilis: caudaque fidem spectare videtur,  
 In dextram Cephei se contorquens pede dextro:  
 Læuam nam sonipes diuerberat alitis alam.  
 Hunc demum subterlabentem sydere Pisces  
 Inuoluunt: dextram distendit Aquarius altum  
 Ad caput: insequitur quem dein glacialis in orbe,  
 Læuo, contristans Capricornus frigore terras.  
 Attamen & prior hic rotat, inferiorque volutus  
 Brumali solis requiescit tempore cursum  
 Hoc fuge veliuolo te ponto credere mense,  
 Aut sæuos pandis immittere puppibus Austros.  
 Nam reuoluta ruit pelago cita curriculo nox:  
 Nec properare datur, spatium nec currere magnum  
 Nec cæca tete metuentem noctis in umbra,  
 Ocyor adueniens inuiset lutea bigis

C ij

Aurora, aut latis implentem questibus altum  
 Audiet: interea miscentes murmure pontum  
 Segnius haud tollunt Aquilones turbine fluctus.  
 Tum glacie frigus concretas asperat undas,  
 Per vada salsa means: atque omnis nauita torpet,  
 Languida membra trahens: fundo tamen aestuat imo,  
 Per totum tardis voluendum mensibus annum:  
 Vorticibus pulsans incuruas unda carinas.  
 Tum vero, celeres ceu forte ex aequore mergi,  
 De summa circumspiciunt maria humida puppe,  
 Mæstum torquentes procurua ad littora vultum.  
 Tollitur interea curuato gurgite nauis,  
 Atque eadem rursus fundo deuoluitur imo,  
 Et summa tantum supereminet altior unda:  
 Pinea texta sonant, sonat unà lethifer imber,  
 Vix inimicam hyemem lignum compagibus arcet.  
 Sunt & mense salo qui passi multa priore  
 Sole sagittiferi vacuam dominante per aulam.  
 At tu te pelago fidens committe tumentis,  
 Præcipiti donec labatur vesper Olympo.  
 Noctis enim suspecta tibi sint tempora laua.  
 Tuque ideo certis poteris præsciscere signis  
 Hunc mensem, tempestatis non inscius antè.  
 Ipse etenim nunquam te fallat Scorpius ardens,  
 Exoriens serus demum sub nocte silenti.  
 Namque Pharetrigerum contendere spicula cernes  
 E minus intento terrentem sydera cornu,  
 Quem supra paulò diffundit brachia latè

Scorpius,

Scorpius, & cæli elatus plus possidet æquo,  
 Consurgitque Lycaonia caput altiùs Arcti.  
 Hunc propter, circumque cito torquetur in orbe.  
 Tum sese Orion sera sub nocte recondit:  
 Occidit & Cepheus aqua plus parte relatus,  
 Lumborum tenus à palma sublapsus in undas.  
 Adiacet huic arcu proprio viduata sagitta,  
 Quam propter pennis cæli statione potitur,  
 Et magis horrifera Aquilonibus adiacet Ales.  
 Proxima fuluus habet pedibus Iouis armiger uncis,  
 Non adeo magno delatus corpore in astra,  
 Sed lauo visus contristat sydere nautas.  
 At lateri nixum Capricorno iungere sese  
 Cernes Delphinum tenui præ lumine fuscum.  
 Quattuor illi adeo summa sunt fronte locatæ  
 Stella: quas spatium binas disterminat unum.  
 Cætera pars tenuem iaciunt mortalibus ignem.  
 Sic equidem posita gelidis Aquilonibus algent,  
 Errantisque iacent afflatæ lumine Phæbi.  
 At pars inferior radiis est obsita fuscis  
 Inter solis iter, perque Austri flabra locatis.  
 Hinc meat obliquo tortus per sydera mota,  
 Cornigeri Orion, positus sub tergore Tauri.  
 Non illum quisquam cælum se nocte serena  
 Suspiciens, latè diffusum cernere credat.  
 Cætera sint vigili certissima signa futura,  
 Talis sub pedibus custos Canis excubat illi  
 Feruidus, aterna stellarum luce coruscans.

C iij

Trunca manet pars, pars maior supereminet ardens  
 Flammea, cæruleusque tenet color insitus aluum.  
 Dat crinita faces stella, æstusque ignea voluit  
 Malaque insultans victricia lumina figit,  
 Morbos squaloremque ferens tristemque luelam,  
 Agrusque æstifero sub sydere findit hiulcos.  
 Sirius hinc nomen factum mortalibus agris.  
 Illius exortum cum sol violentior ardet,  
 Frondentes nunquam frutices virtute carentes  
 Vitali: aut planta genitæ semine fallunt.  
 Nam celeri currens generatim quæque legendo,  
 Flamma, quæ defixa manent radicibus altis,  
 Quæque suas tellus concessit dædala vires.  
 Hæc leni mulcet, confirmat & educat aura.  
 At nequeunt penitus quæ se committere terræ,  
 Et frondes foliis & truncos cortice nudat:  
 Hic non ignavis nobis absconditur ultrò.  
 Cætera quæ variis circum undique densa relucunt  
 Membris, quæ positus sit signant lumine claro.  
 Hinc Orionis pedibus sublabitur altis,  
 Auritus celeri pulsans Lepus æthera cursu:  
 Pone subit figens vestigia viuidus Umber,  
 Insequiturque hærens tergo, similisque tenenti  
 Increpuit malis, & morsum captat inanem  
 Feruidus: innixus tamen ille haud segnior instat,  
 Vnæque exoritur sequiturque in prona ruentem.  
 At Canis ad caudam cita præterlabitur Argo,  
 Conuersam gestans radianti lumine puppim:

Namque

Namque caua tumidum non hic trabe curritur æquor:  
 Ceu panda cum iam portum tetigere carinæ,  
 Certatim longis instant obuertere rostra  
 Contis: sublatus vastum ferit æthera clamor  
 Nauticus, altas dum trudent ad littora puppes.  
 Haud aliter cælo Pegaseia labitur Argo.  
 Pars illi tenebris inuoluitur altera cæcis,  
 Veliferi a prora quæ mali figitur arbor:  
 Altera pars radiis æterno lumine fulget,  
 Inde gubernaculum diffusa luce coruscans,  
 Festinata Canis se post vestigia condit,  
 Hinc demum amotam procul in tutoque locatam,  
 Horrendum insequitur monstrum per cæcula Cetus  
 Andromeden: viso fugit ilicet ocyor Euro  
 Illa, & Hyperborei gelidas Aquilonis ad auras  
 Flectit iter: lustrat non segnius omnia circum  
 Equora, & immani prouoluit corpore fluctus.  
 Ad nimbose Noti diuertens flamina monstrum  
 Arietis: hinc sese labens post terga recondit,  
 Et Pisces sistens stellati ad fluminis undam.  
 Voluitur hic flauas contorquens vortice arenas  
 Fluuiorum rex Eridanus, quem sæpe rigarunt  
 Fulmine deiectum, dum flent Phaëtonta sorores.  
 Hunc Orionis dabitur tibi cernere læuo  
 Sub pede, defixasque ambas utrinque catenas,  
 Quæ hærent caudis Pisces permutua nexi,  
 Flumine permistas Ceti post terga relabi  
 Has vnus cælo radians determinat ignis,

C iij

Quâ dat spina fera currens discrimina dorso.  
 Hinc interque gubernaculum monstrumque marinum  
 Sparsæ sunt stellæ, suffusæ lumine paruo:  
 Agmina condensant spatio breuiore coacta,  
 Auriti Leporis subter latus insidentes,  
 Quarum nec nomen nec formam accepimus uiquam.  
 Non etenim effigiem simulacri corpore reddunt  
 Fictio, nec radiis lucent sub imagine falsa:  
 Qualia multa suo labuntur plurima tractu.  
 Omnia quæ seclis obliuiscuntibus ætas  
 Deleuit, penitusque extinxit nomine famam:  
 Neu quisquam fuerit, valeat qui singula uerbis  
 Compellare suis, aut ueram reddere formam.  
 Plurima sunt etenim cœlestem sparsa per orbem,  
 Quæ paribus radiis similique colore relucent,  
 Sparsaque disparibus spatiis agitata recursant.  
 Nam uoluit pater omniparens regnator Olympi  
 Digesto stellæ distinctas ordine ferri,  
 Quæ ductæ serie signarent corpora certa,  
 Quæis moniti proprio mortales nomine quæque  
 Compellare suo quirent, & figere mente.  
 Non etenim nascens quisquam mirabitur astrum,  
 Sed puris quadam simulacris fixa relucent:  
 Quæ uerò Leporis condensant infima stellæ,  
 Luminis expertes sunt, & sine nomine uulgus.  
 Labitur inferior Capricorno Piscis ad Austrum  
 Semotus reliquis, respectans ora marini  
 Ceti, non frustra Australi de nomine dictus.

Nec

Nec procul hinc pedibus passim radiantis Aquari  
 Subiectas, Piscemque inter Cetumque uidebis  
 Stellæ & fama ignotas & lucis egentes:  
 Quas propter labens irrorat Aquarius annum,  
 Effunditque urna paruos mortalibus ignes  
 Dextra, contortos sinuosi fluminis unda.  
 Hos inter rutilo gemini splendore coruscant,  
 Latè præ reliquis, & pleno lumine turgent  
 Non adeò elati cœlo, radiisque propinqui  
 Ingens sed pedibus substernitur unus Aquari.  
 Alter Piscicis sub cauda conditus hæret,  
 Omnes quos perhibent undæ de nomine dictos:  
 Præterea sunt quæ subeunt uestigia sæui  
 Prima Sagittiferi, celeresque rotantur in orbem.  
 At quæ uipereum diffundunt spicula uirus,  
 Contortumque minans cauda consurgit in ictum  
 Scorpius, Ara subest nimborum flatibus Austri,  
 Ara repulsa ferens spatio sua lumina paruo.  
 Nam micat Arcturi aduersa de parte locata  
 Cui magnum cœlo concessit Iuppiter orbem:  
 Ast hæc Oceani citius submergitur undis,  
 Densusque æterna nimbus caligine uestit:  
 Quæ uarios præsens hominum miserata labores  
 Signa procellarum monstrat certissima nautis.  
 Tum malè pontiuagis sibi temperat unda carinis,  
 Cum sæuis medio iactantur in æquore uentis.  
 Signa dabo tibi & hæc, tu condita mente teneto:  
 Ne mihi tum libeat, coeunt cum nubila cœlo,

D

Inclusamque tenent media caligine stellam,  
 In rate non tuta spatiosum currere pontum.  
 Ipsa quidem claro per sydera labitur astro,  
 Surgentes signans Aquilones lumine fusco,  
 Cum nitidum ferruginea caput occulit umbra,  
 Desuper & nigra turbatur pallida nube.  
 Sape etiam madidos monuit praevertere nimbos  
 Austri, nox eadem caelo gratissima nautis.  
 Nec magni res est cauto vitare laboris.  
 Omnia disponens ritè arma locare memento,  
 Ne tumidum mare, ne noceant tibi flamina venti.  
 Hoc faciens tutò rapidas labere per auras.  
 At si precipitans caelo ruat acta procella,  
 Involuantque ratem violento turbine Cauri,  
 Lintea perrumpunt iactata carbasa puppis  
 Summaeque deiiciunt altis carchesia malis.  
 Ipsa viam sulcat rimis male tuta fatiscens,  
 Et laxis laterum compagibus accipit undam.  
 Hic, si non votis fuerit Deus ipse sinister,  
 Compescat Boreæ vertentia flabra profundum.  
 Multa tamen passus cum sis maria humida nando  
 Usque memor celsæ stipes latera ardua navis.  
 Nam tibi suspecti tum sint per nubila venti,  
 Incipiat donec Boreæ de parte minacis  
 Caligans se nox caelo purgare sereno:  
 Tum multus nimbis crepitans ruit horridus Auster  
 Hoc signo, & vacuo dominatur in æquore victor.  
 Sin humerus ruat Oceano, quâ Phæbus anhelos

Tingit

Tingit equos fessus, Centauri, totus & ipse  
 Nigranti sese ostendat caligine tectus,  
 Insuper & densis inuoluat caca tenebris  
 Nox Aram non iam nimboſis flatibus Auster,  
 Sed ruit effusis incumbens Eurus habenis.  
 Illum cernere erit substratum terga duobus  
 Syderibus: nam quem vultum sub imagine gestat  
 Humana, premit incumbens hunc Scorpius ardens.  
 At quam cornipedis sumpsit de corpore formam  
 Desuper aspectant urgentes sydere Chelæ.  
 Ille manum dextram, qua bellua vasta tenetur:  
 Bellua adhuc nullis Graium nominata Camenis.  
 Corpore semifero perstans contorquet ad Aram.  
 Emicat hunc superans Lernaum lumine monstrum  
 Hydram quam perhibent vero de nomine Graii.  
 Hæc viuum falsa simulans sub imagine corpus,  
 Precipiti fertur lapsu contorta per astra:  
 Nam medium vertex contingit sydere Cancrum,  
 Spira iacet fulvi pedibus substrata Leonis,  
 Caudaque Centauro supereminet altior acta.  
 In media Crater spira collucet inhaerens,  
 Extremam rostro Coruus depascit adunco.  
 Labitur ulterius radianti luce coruscans  
 Subiectus Geminis, Procyon cognomine dictus.  
 Hæc sunt quæ dantur tacite labentibus annis  
 Digesta serie per caelum cernere torta.  
 Omnia sunt etenim simulacris insita certis,  
 Quæ facile apparent per amica silentia noctis.

D ij



Quinae bis senum stellae labuntur in orbem  
 Signorum, passim varia circumque rotata  
 Quae nobis torto nil certi lumine spondent.  
 Usque adeo incertos peragunt per sidera motus.  
 Haec longos vertunt complendis mensibus annos  
 Et longus cursus debetur terminus olli,  
 Dum caelo coeant voluentes lumina in unum.  
 Nec mihi pertentet tantum fiducia pectus,  
 Audens ut valeam longos evolueret motus  
 Astrorum, aut caelo quae debita tempora cuique  
 Dicere: cum certos vertantur fixa per orbem  
 Quaedam etiam incertos peragant errantia cursus.  
 Quattuor hinc ergo quae emicat orbita cuique  
 Ingens, dispensant tacito sua tempora mundo  
 Atque annos certo fugientes limite signant.  
 Hos est distinctos procul internoscere multis  
 Luminibus, densosque inter torquerier ignes:  
 Hosque intervallum binos discriminat unum.  
 Non varios illi impediunt, non orbibus orbem  
 Implicitant: omnes sed vinculis nexilibus dant  
 Tortus compositos: iuuat unum agitare tenorem.  
 Tuque etiam, ne quaeque tibi non ordine pandam,  
 Cum nox acta ruit, radiantque cadentia caelo  
 Sidera, nec plena fulget Latonia luce  
 Sed tenebris longe clarescunt singula densis  
 Si te tantus amor tenet, astrorumque cupido  
 Suspice, candenti signatum cernere caelum  
 Orbe tibi dabitur, longoque albescere tractu,

Lacteus

Lacteus hic fertur lucens candore niuali,  
 Cui non assimilis tali suffusa colore  
 Altera defixas perlabitur orbita stellas.  
 Sed spatium carpunt orbem non quattuor aequum:  
 Nam duo praeter reliquis signantur limite paruo,  
 Quorum qui prior est Boreae deflectit ad auras:  
 Hic caput inuoluens Geminorum torquet ibidem,  
 Inde genu prensans Aurigae versat utrunque,  
 Et Persei laeuam suramque humerumque sinistram,  
 Parsque tui dextra Andromedae perlabitur acta:  
 Palma sed aspectat Boreae penetrabile frigus,  
 Nimborum cubitus pulsatur flatibus Austri:  
 Ungula dehinc orbem ferit utraque quadrupedantis:  
 Labitur et caput, et subuerso corpore tergum  
 Alitis, inuoluitque humeros Serpenter ambros.  
 Pone subit saevas austris raptata per auras,  
 Aversans comitem deflexo corpore virgo.  
 Hanc demum superant villosi terga Leonis  
 Cui pectus feriens ventremque interfecat orbem.  
 Quem dein subsequitur torrenti sidere Cancer,  
 Et ducto tarda ceu sub testudine filo  
 Raditur, atque bipartitus diffunditur astris,  
 Cornipedesque aestu Phœbi requiescit anhelos,  
 Orbem ubi caelo clarescit utrinque reductus.  
 Partibus huic adeo octonis via limite quadrat,  
 Quarum quinque pari superas discrimine in auras  
 Se dant: tres Styx atra videt manesque profundi.  
 Harum quae prior est saeuis Aquilonibus alto.

D iij

Tunditur: at medium Capricornum proxima scindit,  
 Hæcque pedes geminos voluit rorantis Aquari,  
 Caudaque cærulei perlabitur hispida monstri,  
 Auritoque Canis Lepori vestigia iungit:  
 Hinc Argo rutilam circumfert lumine puppim.  
 Vnà addunt sese Centauri terga rotata,  
 Caudamque exacuit contorto Scorpius ictu.  
 Iungit se comitem non dedignatus ibidem,  
 Sæua Pharetratus contendere spicula neruo.  
 Ultima dehinc Boreæ, ruit auersata procellas  
 Tacta rotis Phæbi, perque Austri flamina currens.  
 Labitur hîc solis requiescens orbita cursum,  
 Contristans terras glaciali frigore brumæ.  
 Partibus ex octo diffundunt lumina ternæ,  
 Quinque vehunt tenebras, & nox dominatur oborta  
 Inuoluens umbra terrasque fretumque polumque:  
 In medio fertur quantus cum lacteus orbis  
 Percurrit stellas magno curuatus Olympo:  
 Isque dies noctesque pari libramine versat,  
 Et cum præcipiti ruit æstas torrida lapsu,  
 Et cum purpureo noua vere repullulat arbos.  
 Signa procul tibi collucent Ariésque petulcus,  
 Inflexoque genu connixus Taurus ibidem.  
 Corpore sed totus quantus distenditur alter  
 Hurtorum crurum tenus emicat alter in orbe.  
 Addit se comitem Orion, qua Baltheus ardet  
 Vnà etiam flexus diræ perlabitur Hydra.  
 Quem sequitur Crater, & ouanti gutture Coruus,  
 Voluanturque

Voluanturque simul Chelarum lumina pauca.  
 Inde genu Serpentigeri torquetur utrumque.  
 Ponè subit volucres quatiens Iouis Armiger alas.  
 Quem dein subsequitur caput altum quadrupedantis,  
 Vnà etiam ceruix debuisto tota reuulsa.  
 Hos omnes æquo demum discrimine vincidos,  
 Aptatosque rapit conuoluens ignifer axis.  
 Quarta dehinc clara perlabens orbita luce  
 Partibus extremis, extremas implicat omnes:  
 Hanc circlus mediam, medius discriminat alto:  
 Ipsa rapit reliquos, tortumque obliquat utrinque  
 Palladis haud equidem vir quisquam insignis in arte,  
 Ipsa cui manibus doctissima tradidit usum,  
 Et fabrica ratione dedit præcellere cunctos,  
 Nexilis implicitet, circumque rotatilis addat  
 Curuatos formæ circlos, omnesque rotundet  
 Inque suos flectat tortus orbilia voluens:  
 Vt cælo sunt obliquo diuinitus omnes  
 Aptati, æterno lustrantes lumine mundum.  
 Hique etiam surgunt & tingunt æquore sese,  
 Disiunctique orbes æquo discrimine voluunt  
 Alternantque vices, similique volumine signant.  
 Alter at Oceani tantum de gurgite surgit,  
 Quantum discretus longo per sydera tractu,  
 Horrescit torrens Capricorni frigora Cancer,  
 Quantumque exortu consurgit in ætheris auras:  
 Tantum præcipitans nobis absconditur ultro,  
 Quaque acies hebetat cælo lux clara coruscans  
 D iij

Sex totidem ulterius conuoluitur orbita partes,  
 Bina pari contorquentes discrimine signa.  
 Nomen zodiacus Graij fecere vocantes,  
 Signiferum Ausonij melius uertere poëta.  
 Hic contorquet agens torrenti sydere Cancrum.  
 Quem subter fulgent villosi terga Leonis.  
 Inferiora tenet radianti lumine uirgo.  
 Exin subiecta rutilant per sydera Chelæ:  
 Ponè subit curuans sua brachia Scorpius ardens.  
 Hunc sequitur curuo qui spicula dirigit arcu.  
 Labitur hinc gelidus tortus Capricornus in orbem.  
 Tum lymphas fundens irrorat Aquarius annum.  
 Exin squammigeri uoluuntur sydere Pisces.  
 Lanigeri demum sese explicat Arietis orbis.  
 Proxima candentis cælo rotat orbita Tauri,  
 Extremumque tenent curuati terga Gemelli.  
 Hæc duodena regens sol mundum lampade lustrat  
 Signa pari spatio stellanti emensus Olympo.  
 Tempore quo terris genitalia semina crescunt,  
 Et reparata nouas sumunt plantaria uires.  
 Isque etiam quantum Oceani se gurgite tollit  
 Æthereo, tantum percurrit sydera tractu  
 Sexque pari fugiunt numero glomeramina noctis.  
 Et totidem semper superis uersantur in auris:  
 Hoc spatium densis præcepis inuicta tenebris  
 Percurrit cælo properans nox humida bigis.  
 Nec tibi non fuerit certos perdiscere cursus  
 Utile: signorumque ortus lustrare sub æthra.

Semper

Semper enim inuictus terit unum feruidus axe,  
 Et uacua solus dominatur Phœbus in aula.  
 At tu nocturno circumspice tempore cælum,  
 Aut si densata glomerent per sydera nubes  
 Tollatque aspectum tibi mons prætentus in auras:  
 Hic certos cæli tractus signare iuuabit.  
 Ipse tibi ostendet uersans sub gurgite signa  
 Oceanus, superas teneant quæ luminis auras,  
 Et quæ cœruleis pelagi mersentur in undis.  
 Nonne uides curuans cum surgit brachia Cancer  
 Signiferum multo stipatum lumine ferri?  
 Inque uices ortumque obitumque alterna referre?  
 Protinus ardentis decedit stella Corona:  
 Occidit & Piscis cauda æuis æquore mersus.  
 Resplendet media radiorum parte Corona:  
 Occulit & mediam cæli delapsa sub auras.  
 Ponè subit Piscis, caudamque effertur ad imam,  
 Nox superiora tenens inuoluit cæca tenebris.  
 Condit se Cancer, genibus sublabitur ipsis  
 Declines mergens humeros Serpenter ambos.  
 Corruit & Coluber collo tenuis æquore mersus:  
 Hinc & Hyperboreus non æqua parte Bootes  
 Tollitur, inque diem clarescere serus habetur,  
 Plurimus ætheream noctis depascitur umbram.  
 Isque adeò secum bis bina sub æquore mergit  
 Signa, nec occasum sine fama ignobilis haurit,  
 Tum supera demum cum se satiauerit aura,  
 Cœruleis mediam post noctem illabitur undis.

E

Hinc tardas perhibent vero de nomine noctes:  
 Quod serus subiens referat sua signa Bootes.  
 Talia stellato labuntur plurima caelo.  
 Parte alia multo consurgit lucidus auro  
 Ori m: radiis quem cingit Balthus ardens:  
 Lucentesque humeri stellis stipantur utrinque.  
 Dextra fulmineum vibrans consurgit in ensen.  
 Vnà ingens magno cum murmure labitur Amnis.  
 At cum villosi clarescunt ora Leonis,  
 Protinus abscondunt eadem quæ Cancer in ortu.  
 Addit se comitem subiens Iouis armiger alis,  
 Et pronus radians curuato corpore fertur:  
 Ille tamen flexum qua pes sinuatur in uncum  
 Laeuis, caruleis pelagi non mergitur undis.  
 Nec mora: consurgit septemgeminæ caput Hydræ:  
 Apparêtque Lepus nixus per sydera cursu.  
 Et Procyon, & prima Canis vestigia fixa.  
 Viribus at Virgo maioribus ausa superbe  
 Depellit voluens non pauca sub æthera signa.  
 Exemplo turbata fugit Cyllenia Fides  
 Vnà Delphinus præcepssq; voluta Sagitta  
 Atque ruit cauda pennas sublapsus ad imas  
 Ales, & Oceano præcepss deuoluitur amnis.  
 Ipse caput Sonipes collumque in prona retorquet.  
 At procul exoritur Lernaum sydere monstrum,  
 Et Cratere tenus distendit corpus in astra.  
 Hinc noua præuertens Vmber vestigia figit:  
 Quem sequitur multos Argo perpessa labores

Curuam

Curuam prætendens radianti lumine puppim.  
 Labitur illa polo astrorum simulacra per errans,  
 Et medio iactat lucem de robore mali,  
 Toto iam donec processit corpore Virgo.  
 Nec mihi prætereant non dictæ carmine nostro,  
 Obscuro quamuis suffusa lumine Chelæ.  
 Tantus in immensum iactat se luce Bootes  
 Armatus radiis fuluóque insignis in auro,  
 Aduersi feriens Arcturi sydera vultu.  
 Nec iam tota micans caelo perlabitur Argo.  
 Altius Arcadiæ consurgit bellua Lerna,  
 Et cæli signat spatiosum corpore tractum.  
 Cauda manet tantum densis obtecta tenebris.  
 Ducunt terribilem surgentes sydere Chelæ  
 Contortum Serpenterum discrimine paruo.  
 Cui dextrum usque genu suram diuerberat harenis,  
 Compellata suo nulli cognomine imago  
 Arcadis & propter Fidem sublabitur astris:  
 Hanc cum præcipitans caderet nox humida caelo,  
 Et spatium traheret geminatum torta per orbem,  
 Immissamque polo & depulsam vidimus ipsi.  
 Inde procul Chelas viduatas luce perosa  
 Usque pedem tantum iungens comitatur euntes,  
 Expectans superas sese dum tollat in auras  
 Scorpius, atque Phætrati vicinia signi:  
 Hos etenim stipans semper socia agmina iungit.  
 Vni sed iusta plus parte relinquere sœuit:  
 Nam lenam palmamque caputque Sagittifer oriet:

E ii

Quod superest raptum contorquet Scorpius ardens  
 Sicque tripartito congestos diuidit artus.  
 Præterea surgit media tenus acta Corona,  
 Caudaque Centauri extrema de parte reuulsa:  
 Tum caput abscondit Sonipes sublapsus in æquor.  
 Quem dein præcipitans sequitur stellata volucris.  
 Occidit & caput Andromedæ, monstrumque marinum.  
 Inuoluit tenebris Notus, & ferrugine condit.  
 Viderat hoc Cepheus, Borreæ de parte niualis  
 Coniugis immiti labefactus corda dolore:  
 Nec cessat geminas attollere in æthere palmas.  
 At Cetus pelagi spina tenus occidit undis:  
 Ille caputque manusque humerosque sub astra recondit.  
 Hic etiam Oceano sinuosus labitur Amnis,  
 Cum supera emergens assurgit in ardua Scorpius.  
 Fama volat nostros inter vulgata priores:  
 Cum Diana Chio nemorosus vallibus errans,  
 Lustraret saltus pictam succincta pharetram,  
 Et cursu premeret lepores, damasque fugaces,  
 Oriona Deam manibus violasse profanis.  
 Tempore quo deserta vagans per lustra superbus  
 Consectansque feras sternebat robore clauæ,  
 Exoptans præda gratum facere O Enopioni,  
 Et pingues dapibus mensas onerare ferinis.  
 At Dea non tantum perpeffa impune licere,  
 Vltrices acuens iras sub corde coquebat  
 Vindicam meditans: ea demum cura retardat.  
 Nec mora: terrifico montes concussit hiatu:

Quo

Quo vastam motu pulsi traxere ruinam,  
 Et conuulsa procil tonuerunt saxa fragore.  
 Protinus horrendum, & dictu mirabile monstrum,  
 Scorpius ardenti conuoluens brachia flamma,  
 Conuexo emicuit clausus sub fornice saxi,  
 Spiculaque exacuit funesto tincta veneno,  
 Ipsumque ante alios confisum robore dextræ  
 Occupat incautum & violento perculit ictu:  
 Olli percusso lethalis diditur ignis:  
 Membra per insinuans nigranti lurida tabo,  
 Et contorta imis per se dedit flamma medullis.  
 Sternitur ingenti necquicquam corpore fretus  
 Orion, fuluaque ruit moribundus arena.  
 Fama manet facti & cælo sua pœna recursat.  
 Nam quoties superas inuisit luminis auras  
 Scorpius, accelerat cursum per sydera lapsus  
 Orion: præceps pedibus timor addidit alas.  
 Voluitur ille polo, atque imum decliuus in axem  
 Radit iter liquidum, & summis supereminet aruis.  
 Vnà etiam fugit Andromede, Cetusque marinus:  
 Tum Cephei terras contingit Balthæus ardens.  
 Ille quidem Oceani superas in gurgite mergit  
 Partes: at non fas reliquas subsidere ponto  
 Quas retinent Arcti radiis, surasque genuque.  
 Addit se comitem collustrans lumine natam  
 Cassiope: non cælo decus altum de super acta  
 Seruans: nam prono defertur vertice lapsa  
 Cæruleisque genu pelagi tenus abditur undis.

E ij

Causa mali tanti irrequieta superbia mentis.  
 Ab nimium infœlix ventoso concita fastu  
 Dum furit, & fidens vocat in certamina formæ  
 Quas tenet Oceanus Nereo genitore sorores,  
 Hac illam Doris pœna, quin & Panopœa  
 Exercent, & præcipitem sub sydera voluunt.  
 Inferiora tenent, subtérque aduersa rotata  
 Ardentis cœlo pars altera torta Corona.  
 Hydræque iam caudæ sinuosos explicat orbes.  
 Hanc propter corpus tollit Centaurus in astra  
 Semiferique caput: prætentæque bellua dextra  
 Luminis æthereas latè consurgit in auras.  
 Namque sagittiferi exortum pes spectat utérque,  
 Ille etiam spiram versat serpentis in alto:  
 Illius & serpentigeri rotat orbita corpus.  
 Namque caput torquet reuolutum Scorpius ardens,  
 Exortûque manus serpentigeri rotat ambas,  
 Corripit & Colubri summum de corpore lumen:  
 Hic etiam ignota exoritur sublustris imago,  
 Exertans humeros & pectus cruræque & aluum,  
 Apparêtque unâ rutilanti Baltheus ignes:  
 Et manus insequitur reliquis comes altera torta,  
 Nam caput & manus exortu rotat altera saui  
 Acta sagittiferi: venit & Cyllenia Fides,  
 Et toto sese depromit pectore Cephæus.  
 Iam corpus condit delatus viuudus Vmber.  
 Occidit & pariter lapsus nimbosus Orion,  
 Stelligerique lepus cursu Lpetit infera cœli.

At

At non Auriga fuerunt sua signa referre  
 Nimboſiq; Hadi, & sacrata sub æthera Capra  
 Nam positi obsident immancm sydere dextram,  
 Discretique aliis euoluunt lumina membris,  
 Facturi tempestates in gurgite vasto,  
 Flammifero inuectus curru cum Phœbus inarsit.  
 Frigidus hinc Capricornus obit, conditque relatum:  
 Et caput, atque manum lumbosque pedesque sub astra  
 Inferiora Phœtrigeri vicinia mergit.  
 Ipse pedem linquit dextrum Danaei heros  
 Et crus: cætera nam tumido dedit equore ferri.  
 Summæque labuntur pariter Carthesia nauis  
 In quantum puppis spatium compellitur acta,  
 Quam fert præcipitem surgens Capricornus in auras.  
 Occidit & Procyon: contra super æthera tendunt  
 Atque Ales, pedibusque Iouis simul armiger uncis  
 Agmina coniungunt pennatæ signa Sagittæ:  
 Sacratûsque Noti pulsatus flamine Serpens.  
 Parte alia caput atque pedes Equus arduus effert.  
 Cum superas surgens inuisit Aquarius auras.  
 Hic caudam condit Centauri, fertque sub astra  
 At non ille humeros valeat, pectûsque coniscum  
 Elatumque caput pelagi mersare sub undis.  
 Tum colli spiram Lernæi torquet ibidem  
 Et frontem: perstat radians non segnius alto  
 Ponè trahens cœlo spatiosa volumina caudæ:  
 Cum demum apparent squamosi sydere Pisces,  
 Bellua Centauro sublabitur acta superæ,

E iij

Hic ille exoritur Piscis sublatus in astra,  
 Quem pedibus subigens Capricornus desuper urget.  
 Pars latet: alterius quia signo debita surgit.  
 Iam tum crura manúsque humerique per ima recursant  
 Andromedæ: rutilo subterlabentia cælo.  
 Cum demum aëri radii radiant per núbila Pisces  
 Dextra trahunt, & cæruleo sub gurgite tingunt.  
 Laeva labant cum lanigerum pecus ardua captat,  
 Ara tenet cælum pleno tum lumine turgens  
 Exertatque humeros Danaë satus, & caput altum:  
 Balthæus incertum, cuius sub sydere surgat  
 Versetne hunc Aries, an Taurus in æthera voluat.  
 Huic tamen elatus semper socia agmina iungit.  
 Nec tamen ille negat Tauro sua signa referre.  
 Namque huius radiis Aurigæ sydus inhaeret:  
 Quem non idcirco Taurus conuellit in auras  
 Totum: sed Geminis surgit pars debita maior:  
 Taurus agit laeuumque pedem Capramque sequacem  
 Hædorumque dies: quo tempore terga resurgunt  
 Et cælo fertur Pistricis cauda marinæ.  
 Conditur hinc adeo feri pars prima Bootis:  
 Quatuor hic etenim persistens signa fatigat,  
 Vix demum quarto pelagi sublabitur undis  
 Laeva manus tantum cælo torquetur in alto.  
 Extemploque cadunt Arcturi sydera Olympo.  
 Ipse etiam quando suras Serpenter undis  
 Pingit: signa tibi lapsu certissima monstrat,  
 Actos Eoo Geminos emergere fluctu:

Tum

Tum Cetus totum sese depromit in alto.  
 Atque aliquis stellas ventoso nauita ponto  
 Latè collustrans oculis, miratur ibidem  
 Agmina prima Padi toto decurrere cælo:  
 Prospectumque petit pelago, totumque coruscum  
 Oriona videt radiis, captatque sub axe  
 Signa procul, mundoque cadentia sydera spectat,  
 Singula quid monstrant tacitus sub pectore voluens,  
 Exploratque moras noctis, quæ tempora signent,  
 Quas tempestates moneant vitare per altum.  
 Sic etenim voluit superum pater, atque hominum rex,  
 Æternum cælo mortalibus astra patere.  
 Nonne vides gestat cum cornua tenuia Phœbe,  
 Decedente die ut mensis tibi tempora signet?  
 Cumque senescentem referat lux quarta per astra,  
 Cornubus obtusis percurrat pallida nubes?  
 Quattuor his similes assignat Iuppiter ortus  
 Quos imperfecto semper discriminat orbe:  
 Hisque etiam dedit octonas ex ordine lucas:  
 Quæ variæ reparant crescendo cornua Luna.  
 Hæc demum Phæbus terris cum dispulit umbras,  
 Inuoluit radiis & clara luce coruscat.  
 At duodena tibi postrema crepuscula noctis  
 Signa dabunt, torto quæ voluit Signifer orbe.  
 Ipsius hæc anni designant tempora certa,  
 Quæ moneant terris inuertere pinguis culta,  
 Quæque nouis doceant plantas deponere sulcis:  
 His Deus æternum mortalia corda fatigat.

F

Sape etiam undisono iactatus nauita ponto  
 Aut ille Arcturi signauit sydera caelo,  
 Aut quacūque fuant quae turbent signa profundum  
 Et quae prima uehit nox, quaeque crepuscula ducunt,  
 Singula nam Phoebus collustrat lampade uersans  
 Alternatque uices, magnum compulsus in orbem.  
 Seu cum praecipiti lapsu decurrit in aequor,  
 Seu matutino cum uestit lumine terras.  
 Usque adeo alterni uolunt sua sydera soles,  
 Carmine nam cui non uatum libata priorum  
 Solem per denosque nouemque rotarier orbis.  
 Cetera flammatis radiis ubi Baltheus ardet  
 Usque pedes Orionis, qua labitur astris  
 Sirius aestifero contristans sydere terras  
 Praecipitans caelo currit nox humida bigis.  
 Ipsa etiam stella fundo quas uersat in imo  
 Tethys quasque dedit caeli statione potiri  
 Iuppiter, aeternum mortalibus omnia signant.  
 Has igitur late caeli circumspice tractu.  
 Si te digna manet uentosi gloria ponti.  
 Signa procul capta, & pelago da uela tumentis,  
 Quid tibi portendant stellae non inscius ante.  
 Utilis hic fuerit labor, & manet incluta fama.  
 Proderit haec olim uestros docuisse nepotes.  
 Nunquam tempestas prudentibus obfuit alto.  
 Sape etiam cui suspecti sunt aequora uenti,  
 Turbantes matutini sub nocte serena,  
 Subductam in sicco constipat littore nauem.

Tertia

Tertia nam quandoque facit lux gurgitis aestus  
 Cerulei, uertitque interdum quinta profundum.  
 Sape ruit clades inopina per aequora sparsa  
 Quam non effugias: nec enim omnia possumus omnes,  
 Nec dedit ipse Deus praesciscere quaeque futura.  
 Multa latent, quae clarescunt diuinitus acta.  
 Nam genus humanum manifesto numine sulcit  
 Iuppiter, & late portendit signa per astra,  
 Omnia praemonstrans uenturi praescius aui.  
 Nunquam te fallat surgens Latonia Phoebe,  
 Seu cum crescendo reparat sua cornua in orbem,  
 Seu fulgens radiis pleno se lumine iactat.  
 Sol quoque uenturas ostendit saepe procellas,  
 Et cum depromitque diem conditque uelatum.  
 Nec minus ex aliis dabitur, praediscere signa,  
 Quaeque dies ferat, & quae nocte futura trahantur,  
 Cornua cum primum Latonia porrigit astris.  
 Cautus utrinque oculos uigiles uersare memento.  
 Namque micat uespertino diuersa colore,  
 Diuersasque trahit formas utrinque reducta.  
 Tertia crescentem cum lux super ardua uectat,  
 Aut demum quarta, caeli consurgit in auras,  
 Ilicet instantem monstrat praenuntia menssem:  
 Tum pura & tenui si tollat cornua luce,  
 Caelum portendit fulgens argentea clarum.  
 At si purpureo uelauerit ora rubore,  
 Ventus erit, uentum uultu fert aurea Phoebe:  
 Cornubus obtusis sed enim si fulgeat astris,

F ij



Lumen agens quartum densa caligine rector,  
 Turbine tum sauo crepitans ruit horridus Auster,  
 Aut pluuia ingenti fossæ per rura natabunt.  
 At si nec terna sua cornua luce coruscet,  
 Antè supinato nec surgat in aethera vultu:  
 Sed rectos gradiens apices incuruet utrinque,  
 Illam post noctem perflabit turbine terras  
 Incumbens Zephyrus: si demum luminis ortum  
 Prætendat pariter quartum ruet imbribus atris  
 Turbans tempestas, terrâsque fretumque polumque.  
 Sin summos surgens apices utrinque coruscet,  
 Tum suspecta tibi Boreæ sint flamina cælo.  
 Illa supinatum sed si ferat æthere vultum,  
 Plurimus urgebit nimbis pluuiialibus Auster.  
 Tertius exortus si viderit ora rubentem,  
 Et circum tereti suffusam lumina flamma:  
 Voluunt nauifragos procurua ad littora fluctus,  
 Ionio in magno turbantes æquora Caui,  
 Maiorésque æstus facient glomeramine fædo,  
 Si rutilum latè iactet de cornubus ignem.  
 Contemplator item, cum plenum contrahit orbem,  
 Et cum trunca globum teretis manet indiga lucis,  
 Seu quando crescit, seu cum decrescit utrinque,  
 Mensis monstrabit vario suffusa colore  
 Signa tibi, pluuiósque dies & aperta serena:  
 Lucida si fuerint clarescent nubila cælo,  
 Ore rubens mittit spirantes frigora ventos.  
 At si nigrantes maculas signata relucet:

Præci

Præcipitans cælo densum venit agmen aquarum.  
 Nec tibi quisque dies portendet signa futura.  
 Proderit hæc memori non frustra condere mente.  
 Tertius aut quartus quæ signat luminis ortus,  
 Ipsa globum donec medium Latonia cælo  
 Contrahat, & fratris radiis obnoxia surgat.  
 Nunquam te fallent mediæ prognostica lucis,  
 Nec quæ dein toto diffuderit orbe relucens,  
 Cornubus obtusis radiis dum palleat orba:  
 Exortus vanescentem tum tertius ipsum  
 Ostendit menssem: quartus iam tempore cassum  
 Nuntiat, atque nouo sua iura referre monebit.  
 Inde globum si caligans inuoluerit atra  
 Nube ruens nox, siue triplex, siue orbita duplex  
 Ambiat: aut etiam circumfundatur ab una  
 Rupta docet ventos procul impendere furentes:  
 Sin tennes sensim sparsa euanescat in auras:  
 Tum freta demonstrat pelago constrata silere.  
 At geminæ, tempestates non abfore signant:  
 Maiorésque ciet triplici ferrugine tecta,  
 Feruebuntque magis maculis si cornua nigris  
 Circumfundantur, fuerit seu rupta per auras  
 Turbatus fundo Neptunus inæstuat imo.  
 Sol quoque signa tibi mittet surgensque cadensque:  
 Solis te nunquam fallent certissima signa:  
 Quæque refert primo Eoo, quæque Hesperus affert.  
 Ne mihi cum variis maculis depingit utrinque  
 Orbem, tum libeat cælum expectare serenum,

F iij

Nec signum monstret radiis prænuntius ullum,  
 Undique sed tenuem sese condenset in orbem.  
 Ille etenim vespertino si tempore purus  
 Decedat, condâtque caput sine nubibus alto,  
 Lucentem molli vultum splendore coruscans,  
 Eoo clarum referet de gurgite lumen.  
 At non ora cauo cum fert velamine surgens,  
 Atque bipartito radios discrimine scindit:  
 Hicque Noto, gelidis hi dent Aquilonibus ignes:  
 Et vento & pluuia geminatus utrinque carebit.  
 Denique deficient radiis si nubila, cælo  
 Solem ipsum contemplator, solisque nitorem:  
 Hunc etenim semper signa indubitata sequuntur.  
 Si quando rutilet suffusus sanguine lumen.  
 Qualia contractis ignescit nubibus alto,  
 Signa tibi mittet ruptis efferuere claustris,  
 Pontum inuersuros violento turbine ventos.  
 Aut si qua maculas nigrantes orbita iactet:  
 Effusis latè nimbis ruet arduus æther.  
 Sin procul ambobus consertus utrinque relucet  
 Et signat pluuias, & agentes frigora ventos.  
 Ille adeo seu cùm collustrat lampade terras,  
 Seu cùm quadrupedes in gurgite tingit Ibero,  
 Si radiis lucens coëat densatus in unum,  
 Turgentique globum rutilet spectabilis auro,  
 Aut si qua nitidum condât ferrugine lumen,  
 Vel cùm primus equis oriens nos afflat anhelis,  
 Vel cùm præcipitans pelagi caput occulit undis:

Agglo

Agglomerant tempestatem procul imbribus atris  
 Collecta nubes, pluuiosque ex ordine soles  
 Signant, & densum cælo ruere agmen aquarum.  
 Nec cùm nube caua tectus caput exit ab alto,  
 Et picturato surgit iubare auricomus sol,  
 Non suspecta tibi pluuio sint nubila rore.  
 At si consurgat magno glomeramine lucis,  
 Ceu liquidum latè sese diffundat in orbem,  
 Atque iterum spatio brevior coactus in alto  
 Constringat radios, promittit aperta serena.  
 Nec peiora tibi spondet, pallentia condens  
 Ora mari, cùm tempestatibus horruit antè.  
 Sol etiam exoriens venturos nuntiat imbres  
 Nubila ponè trahit, piceo cum turbine cinctus,  
 Et circum sese diuersi lumine rumpunt  
 In medio radij, prima sub luce relata:  
 At si cum pelagi properans mersabitur undis,  
 Abscondat nitidum nulla ferrugine tectus  
 Ignem, conuoluens suffusas sanguine nubes,  
 Non est quod timeas pluuiam ne crastina portet  
 Hora: nec insidias spondens nox lucida tendet.  
 At quando radiis ardor deferuet ab alto,  
 Pallentésque ignes iaculatur in æthere Phæbus:  
 Nimbos designat venturos turbine nigro,  
 In faciémque dies se transformabit eandem,  
 Quam cùm fraternam contra Latonia lucem  
 Tendit, sublustres inuecta per æthera bigas.  
 Nec cùm manè trahit tardum sub gurgite tempus,

Sanguineæque ortum constipant undique nubes  
 Irrigui fuerint glomeratis imbribus agri.  
 Contemplator item quando procul ultima lambit,  
 Et fusca radij latè obscurantur ab umbra:  
 Aut ventos ille, aut atros denuntiat imbres.  
 Nec minus exortum quando rotat orbita circum  
 Nigra ruit ros præcipitans pluuiialis ab alto.  
 Denique si nimbus conuoluerit ora nigrescens:  
 Qualem conuertant currentia nubila cælum:  
 Signat ventorum procul increbrescere murmur.  
 Illa etiam nitidum quæ velat plurima solem  
 Ferrugo, circumfundens caligine nigra  
 Turbatum monstrat densatis æthera nimbis.  
 Maiorésque ciet pluuias glomeramine fædo  
 Si piceum latè ducat per sydera tractum.  
 Sin geminata globum circundet solis in ortu  
 Iuppiter hybernis descendet plurimus Austris  
 Contemplator item cum promit luminis ortum,  
 Seu cum præcipitans nitidum caput occulit undis.  
 Si qua vel Boreæ nubes de parte niualis,  
 Siue Noti, rubro signent latè æthera tractu,  
 Siue etiam solem includant utrinque reductæ:  
 Nec parui fuerit rationem euoluere rerum.  
 Nam quando inclusum cingunt indagine solem,  
 Qua gremio recipit tumidi vicinia ponti  
 Nulla mora est: madidis nox ingruit horrida nimbis.  
 Desuper & nautas cælo premit acta procella.  
 Sin Boreæ de parte trucis consurgat in æthra

Vna

Vnà viam flammis signans per sydera nubes:  
 Pontum perabunt Aquilones t urbine nigro,  
 Siue Notum spectent, Notus ingruit horridus alto,  
 Nimbosusque ruens densis rigat imbribus arua.  
 Hac tamen ipse tibi portendet singula vesper:  
 Et certi melius mittet prognostica cæli.  
 Suspice: signatum tenui Præsepe videbis  
 Nube cauum, rapidi versum sub sydere Cancri.  
 Quod circum latè duo lucent astra per altum.  
 Non adeò radiis sublimi sede locata.  
 Nec premit alterius rutilans vicinia lumen.  
 Quantum ritè oculis emensa extenditur vlna.  
 Stella prior radiat, septem subiecta Trioni,  
 Altera nimbosum rapitur deuexa per Austrum.  
 Nomen eis Asini nostri fecere priores.  
 In medio Geminorum actum Præsepe rotatur  
 Quod cælum clara cum luce refulsit apertum  
 Subtrahit haud oculis nostris immobile sese.  
 Tum demum fusus latè si signet Asellis  
 Eminus ora rubor, tempestas ingruet alto:  
 Sin piceam Præsepe trahat glomeramine nubem,  
 Atque immota manet prior illis forma relucens,  
 Præcipitans terris densum fluet agmen aquarum.  
 At Boreæ de parte trucis, si lumina fundat  
 Tenuia stella, Notoque flagrans micet ignis Aselli  
 Protinus Æthiopum perflabit turbine terras,  
 Et magnam campis stragem dabit horridus Auster.  
 Siue Noti tractu deductus palleat ignis.

G

Riphæis Aquilo stridens incumbit ab oris.  
 Sæpe etiam subito vento impendente videbis  
 Turbatum tumidis consurgere fluctibus æquor,  
 Cùm longè plangunt ingenti littora pulsu,  
 Saxaque perpetuo rorata aspergine ponti  
 Dant sonitum pelago cœli per aperta serena:  
 Aridus aut fragor auditur de montibus altis.  
 Iam tum nauigiis malè tutum curritur æquor,  
 Cùm medio reuolans ponto fugit Ardea fluctus,  
 Et curuum latè littus clamoribus implet.  
 Nec non & fulicæ cùm captant aëra pennis  
 Ipsasque aduersus certant luctarier auras,  
 Æthereosque vagæ carpunt per nubila gyros.  
 Sæpe etiam fluuiialis Anas, Mergique marini  
 Increpuere alis, densantes agmina sicco.  
 Aut nebula aërii fudit se vertice montis:  
 Aut ipsi pappi quos segnis carduus effert  
 Cùm summo nantes colludunt æquore: cùmque  
 Sole sub ardenti horrendum intonuit polus, atque  
 Desuper effulsit disruptis nubibus ignis.  
 Et nigro cùm nox terras obuelat amictu,  
 Sydera flammifera cœli de sede refixa  
 Crinito longè signantes limite sulcum:  
 Signa tibi mittent ventorum partibus iisdem.  
 Sin alia diuersa petant telluris Olympo:  
 Omnia certatim ventorum prælia feruent  
 Quos certo nequeam præscribere limite cœli.  
 Ast Eurique Notique domus cùm fulminat, & cùm  
 Intonuit

Intonuit Borea tractus Zephyrique furentis,  
 Omnis ventoso metuit sibi nauita ponto,  
 Horrescitque undas agitatas turbine nigro.  
 Iuppiter & madido descendit plurimus imbre,  
 Terribili pluuiis molitus fulmina dextra.  
 Sæpe etiam densum cùm defluit agmen aquarum,  
 Tenuia per cœlum rarescunt velleræ lanæ:  
 Aut ingens signat curuato nubila tractu  
 Iris, mille trahens varios protenta colores:  
 Aut si quod nigra caligine contegat astrum.  
 Præterea varias pelagi, & quæ stagna frequentant  
 Dulcia, rimantes pastum per prata volucres,  
 Cernere erit largos certatim infundere rores:  
 Aut arguta lacus volitans infestat hirundo,  
 Signatum feriens limoso aspergine pectus:  
 Aut demum infelix Hydris immanibus esca  
 Progenies, ranæ veterem cecinere quærelam.  
 Et matutina complens Acredula voce  
 Terras, Tithone exercet surgente canores.  
 Tum cornix secum ignota spatatur arena  
 Littoris, & pluuiam pleno vocat ore sinistra:  
 Nunc humeris videas auidam decurrere in unda.  
 Et totam fluuiio sese mersare salubri:  
 Nunc etiam incassum studio gestire lauandi,  
 Arguto multum propter freta gutture ouantem.  
 Sæpe etiam patulis suspectans bucula cœlum,  
 Imbris in aduentum captauit naribus auras:  
 Nec non & metuens inopi formica senectæ,  
 G ij

Ocyus augustis penetralibus extulit oua.  
 Centipeda eque simul conscendere mania visæ:  
 Et longi perhibent quos terræ viscera vermes  
 Exeruerè caput voluentes corpora aperto.  
 Nec chortis pluuiam haud sciuit cristata volucris,  
 Cùm plumas rostro purgans rimatur acuto,  
 Stridorémque facit spatiosa per atria tecti.  
 Quid dicam cùm ceu guttatim ex imbrice tecti,  
 Vnda cadens sonitum tremulo dat fracta liquore?  
 Nec non signa dedit decedens agmine magno  
 Graculus, & densis coruorum exercitus alis  
 Cùm more accipitrum clangorem ad sydera tollit:  
 Sapè etiam nimbis cùm Iuppiter horridus instat,  
 Effingunt sonitum qualem cùm stiria pendet,  
 Suenimus in tectis ventorum audire susurro:  
 Aut raucum murmur fecerunt gutture ouantes,  
 Et vocem longum geminatam hortatibus urgent,  
 Increpuitque alis incondita turba per agros.  
 Aut cornix querula complet suggrundia voce,  
 Stridorémque anates parua per tecta volutant,  
 Clangorémque volans ad fluctus Ardea tollit.  
 Omnia quæ tute ipse memor prouisa teneto.  
 Quin etiam portenta dabunt cùm spicula muscæ  
 Acrius infigunt, & captant sanguinis haustum:  
 Aut ardente putres concrescunt undique testa  
 Fungi, vel scintillantem de lumine ammam.  
 Iactat, & incassum crepitanti luce coruscat,  
 Subsidentque ultrò consumptis viribus ignis.

Aut

Aut æstate nouas quando sese induit arbor  
 In frondes, glomerant volucres per rura frequentes,  
 Trans pontum celeres quos bruma volare coëgit.  
 Cùmque ollam circum costasque undantis alieni,  
 Scintilla magno latè splendore coruscant:  
 Cùmque cinis iactat prunis ardentibus ignem,  
 Sæuis apparent simulacra simillima Cenchrus.  
 Omnibus his signis tempestas urget ab alto.  
 At si radices montis latè occupet imos  
 Caligo, & vertex purus consurgat in auras,  
 Indubitata refert cæli tibi signa sereni.  
 Nec minùs ostendunt diffusa per vada salsa  
 Vndarum nebula, liquidissima regna tenentes.  
 Cùmque specus formam referunt aspergine pulsa.  
 His animaduersis cælo pete signa sereno:  
 Quæ veniant hyemes, qui turbent aquora venti:  
 Rursus & intentus contraria sydera volue,  
 Quos signent soles depulsis nubibus alto.  
 Imprimis cura tibi sit Præsepe notare,  
 Quod rapido Cancer contorquet cardine versum,  
 Cùm caput obscura purgat caligine fultum.  
 Hoc etenim signo tempestas pellitur ultrò,  
 Tum videas uno testas ardere tenore,  
 Tum tenebris fidens exercet noctua cantus,  
 Et luci insultat iam lapsa garrula cornix.  
 Quin etiam corui geminatis vocibus instant.  
 Mox plures coëunt glomerantes agmen in unum,  
 Et dulces natos repetuntque cubilia densi,

G iij

Clamorémque ferunt mira dulcedine lati,  
 Arboris inter se strepitantes frondibus altis,  
 Et reducem multum turbam gratantur ibidem.  
 Strymoniaéque grues cæli sub aperta serena,  
 Agmine densato circumuolare sub æthra,  
 Nec reuocare gradum volucres per sydera lapsæ.  
 Caligo sed enim cum stellis demit honorem,  
 Nec spatium carpunt obuersæ turbine nubes,  
 Non aliunde subit densis nox atra tenebris,  
 Nec plenis fulget radiis Latonia cælo,  
 Sed tenuem iactant ultrò mortalibus ignem,  
 Horrida tempestas cælo portenditur alto.  
 Cumque suam retinent formam per sydera nubes,  
 Agglomerantque alia picea caligine nigra,  
 Alternantque vices & ponè volumina cogunt.  
 Ecce volat, stridorémque ciens ruit Anser in herbam.  
 Garrula iamque canit nocturno tempore Cornix:  
 Graculus & seras exercet gutture voces,  
 Et matutinis Fringilla canoribus instat.  
 Et quot prætereà volucres trans æquora tendunt.  
 Iam quæ portendet penetrabilia Buteo subter  
 Terræ se condens, lucémque exosus Eritheus.  
 E pastúque volans coruorum exercitus ingens,  
 Agmine festinans petit alta cubilia denso.  
 Sed nec apes castris longinqua pascua quærunt,  
 Securæue hyemis florum libamina gustant.  
 Aëriaéque grues non longis ordine turmis,  
 Instruxere acies cæli per aperta volantes,

Longius

Longius aut ausa sese committere ventis:  
 Ne mihi cum tenues suspendit aranea casses  
 Aëre: cumque repente ardens dat testa coruscantem  
 Flammam: vel rutili vires cinis excoquit ignis,  
 Tum motus libeat cælo expectare serenos.  
 Sed quid ego hæc autem necquicquam singula pando?  
 Quidue moror? cinerem certissima signa sequuntur,  
 Cum se concreto glomeramine cogit in unum,  
 Tam nix multa ruit consurgens aggere magno.  
 Nec minus ostendunt simulacra simillima Cenchris,  
 Plurima quæ variis cingunt ellychnia formis:  
 Sin latè prunis ardentibus alta rubescant,  
 Interiusque volent nebula caligine nigra,  
 Subsidiatque ultrò depasto fomite flamma  
 Plurima culminibus crepitans salit horrida grandæ.  
 Contemplator item fructu cum nigra grauatur  
 Ilex, & lentum sudant de cortice gluten  
 Lentisci, metuit tum flauis messor aristis,  
 Ante expectatum ne spicea transeat æstas.  
 Turgens fatura cum glandis inhorruit ilex,  
 Collectum docet humorem radicibus altis  
 Plus æquo infundi, virésque latenter aquai  
 Addere luxuriam, gravidamque efferre sub auras.  
 Illa mihi placeat tempus quæ distulit æstas,  
 Et flauos lento maturat sydere culmos.  
 Iamque adeò triplici mos est grandescere foetu  
 Lentisco, gravidisque comam frondescere ramis.  
 Ter fundens partum, totidem designat arandi

Tempora, fœtura quæ debita sydera cuique  
 Nam cui lentisci depressa cacumina turgent,  
 Illius attonsa perrumpunt horrea messes.  
 Denique quid spondent Cerealia dona per agros,  
 Fœtura modus ostendet tibi ritè quotannis.  
 Ipse etiam Scyllæ flos cum caput extulit aruis,  
 Non aliter quàm quæ lentisco seruat arator  
 Portendit, frugum fœtùmque modùmque recensens.  
 Quid tempestates autumnï prosequar? altis  
 Cum brumam metuens syluis decussit honorem,  
 Agmine densato crabronum millia multa,  
 Æthere sub lato glomerant, pennasque coruscant,  
 Ante suos vespertini quàm Pleiades ortus  
 Educant: ipsasque suis caprasque petulcas,  
 Lanigerùmque pecus, quando effrenatus adegit  
 In venerem furor, & stimulos sub pectore versat,  
 Portendunt tempestates & nubila cœlo.  
 Gaudet prole suum tarda, partùque bidentum,  
 Caprarùmque cui tenui de cœspite culmen.  
 Congestum, pulso quia frigore totius anni,  
 Certis portendunt signis manifesta serena.  
 Illi etiam tacitum pertentant gaudia pectus,  
 Qui duram curuo terram molitur aratro,  
 Cum densata gruùm legio volat agmine primo,  
 Cùmque ruit tardo non tempestiua volatu:  
 Namque hyemis nunquam non est prænuntius ales.  
 Idque magis cum turmatim socia agmina iungit,  
 Et tempestiue properans maria humida tranat.

At

At tardo cum rarefcunt sine more volatu,  
 Cunctantèsque moram ducunt trans æquora longam,  
 Nec simul apparet densis exercitus alis,  
 Multa forent bruma quæ mox properanda sub ipsa,  
 Maturare datur, rebùsque impendere curam  
 Supremam, & summo niti molimine prodest.  
 Suspectæque boues tibi sint, niueæque bidentes,  
 Cum grauidum post Autumnum capita alta superbe  
 Tollentes, gelidus spectant Aquilonis ad auras:  
 Aut pede prosubigunt terram, fodiuntque cauernas:  
 Aut se Pleiades delatæ marmore condunt.  
 Namque ruunt imbres plantisque satisque sinistri,  
 Sauior & terras constringit frigore bruma,  
 Informesque niuis squalentes aggere magno  
 Albescunt: pereunt genitalia semina sulcis.  
 Vrit enim segetes nix & plantaria vastat.  
 Spemque anni agricolæ fœtu solantur inani.  
 At demum plures cum cœlo arsere Cometae,  
 Æstifer arentes contristat sydere terras  
 Sirius, & squalent deductis arua colonis.  
 Forsan & imprudens glomerantes agmine magno  
 Trans pontum volucres, densasque incumbere terris.  
 Longè prospiciens animo gaudebit inertis,  
 Illicet æstatis signans primordia adesse.  
 Demens qui flauis nescit portendere aristis,  
 Partum infœcundam, campisque arefcere farræ.  
 Gaudet & upilio cum rarefcente caterua,  
 P aulatim cernit sedes mutare remotas.

H

Sperans aestivo sarcire incommoda lacte.  
 Usque adeo miseros contraria vota fatigant  
 Mortales, versatque animos penuria habendi.  
 Imprimis certis usum experientia signis  
 Addidit, & veram portentis extudit artem.  
 Nonne vides avido cum tondent gramina morsu  
 Lanigera campis balantes, arguit inde  
 Venturos imbres pastor pluviabilibus Austris?  
 An memorem cum Aries lascivior atterit herbam?  
 Cornubus aut haedi impliciti protrudere sese,  
 Alternos tendunt geminando corporis ictus?  
 Aut motus incompósitos dant, undique gyros  
 Mobilitate pedum luvantes, pube quaternis  
 Innixi prima, geminis qui cornua gestant:  
 Et cum precipiti delapsus vesper Olympo,  
 Cogere oves monuit stabulis, armentaque læta  
 Segnius haud illi tondentes gramina perstant,  
 Infestæque ruunt teneram sine more per herbam.  
 Ipse etiam curvus bubus præsciscit arator  
 Signa procellarum, bisidi cum lambitur illis  
 Ungula summa pedum, collumque proxima spectat.  
 Aut lateri dextro componit bucula somnum,  
 Arguit hinc annis rerum experientia maior,  
 Indita cui canis, differrî vomere tauros.  
 Et quando vesper tina compellitur hora  
 In stabula armentum, latè mugitibus agros  
 Implent: marentesque petunt cum pascua læta,  
 Portendunt vituli pluviâ non abfore noctem.

Nec

Nec capra spondent cælo manifesta serena  
 Illicis attondent cum spinas undique nigrae:  
 Immundaque sues iactarunt ore maniplos  
 Crassique illuvie mersarunt corpora cœni.  
 Martius ipse lupus, solus deserta pererrans  
 Auditus, montis de verticibus ululasse.  
 Cumque colonorum non cautus obambulat aruis,  
 Diffidens latebris, gratumque cubile reuifit:  
 Tres adeo nimbi suspecti ex ordine soles  
 Sint tibi, versuri violento turbine pontum.  
 His animaduersis, quæ spondent sidera signis  
 Indubitata, eadem respondent omnia primis,  
 Seu ventos pluuiasque hyememque notaueris astris,  
 Aut eadem, aut post tres, aut demum quattuor ortus,  
 Turbida se prodent manifesto nubila cælo.  
 Denique cum parui sunt visi stridere mures  
 Cum gestire solo properant, motusque dedere,  
 Non contemnendi grandæuis signa tulerunt:  
 Nec minus & terra quando vestigia condit  
 Prima canis, foditque lares sub cespite paruos.  
 Ipse etiam testudineus vaga flumina linquens,  
 Exiit in siccum cancer, cæloque potitur.  
 Sæpius & pedibus mures paleam inuoluentes,  
 Mente agitant thalamos & parua cubilia condunt.  
 Portenduntque hyemes, venturosque insuper imbres.  
 Quorum si vigiles oculos per cuncta volutes,  
 Aspernanda tibi fuerint spectacula nulla.  
 Explora, signoque aliud superingere signum

H ij



Neu geminis animum mihi spes eludat inanis  
 Tertia si sese prodant audentior ito.  
 Semper enim signata tibi sint sydera cæli:  
 Quæque notis variis monstrant portenta per annum,  
 Disce novos iisdem rebus componere casus:  
 Et quid quæque ferat prænuntia stella per auras,  
 Manè suos quando molitur Lucifer ortus.  
 Nec te pœniteat mensis primordia scire,  
 Quidue sub extremis portendat finibus errans.  
 Bina etenim decrescentis sunt tempora Luna  
 Cornubus obtusis cum cælo expalluit alto.  
 Hæcque novos certo coniungunt fœdere menses:  
 Tum dubiis monstrant signis prognostica stella,  
 Quorum si certo collustres singula lapsu,  
 Nunquam te fallat venturi conscius æther

AD



AD ILLVSTREM ET  
INCLYTVM PRINCIPEM

EDVARDVM SEMAVRV M,  
 Hertfordia Comitem, & Bel-  
 locampum Baronem, Ni-  
 colai Aleni Essentiani  
 Angli Iupiter Phe-  
 retrius.



Va bellis veniat Romana gloria genti,  
 Quid decus & claris nomen ductori-  
 bus addat,  
 Quæ signent postes ex hoste relata tro-  
 phæa,  
 Hinc canere incipiam: Dexter sis car-  
 minis author

Bellipotens, te siue iuuant Gradiue trophæa,  
 Et Thracas inter domitas in pulvere currus:  
 Seu cordi magis armata discordia palla,  
 Et Bellona tuos gressus comitatur, & ira  
 Horrifona intentat biugum per terga flagella,  
 Fulmineo sternis gladio dum cominus hostes,

H ij

Cristatúsque cies belli simulacra cruenti.  
 Siue tua fouisse iuuat cunabula gentis,  
 Troiugenámque urbem triplici decorasse trophæo:  
 Huc ades, & franis feruens da lora secundis,  
 Túque ó cui propriis virtutibus addita fama,  
 Æternúmque decus primæuo flore virescit,  
 Semaure Heroum nostris decus addite seclis:  
 Cui stirps à proauis generoso sanguine creta  
 Nobilitate viget, noménque dat insuper altum.  
 Huc te quando suis Pallas incedere donis  
 Insignem voluit, mentémque aspirat Olympo  
 Magnanimam pater altitonans cælestibus auris,  
 Assuesce, & facilem votis tete insere nostris.  
 Si tibi Romulidum cordi est audire triumphos,  
 Et repetita iuuant primæ cunabula gentis,  
 Huc faciles aures, huc æquam diuide mentem.  
 Debita iam primùm fuit hæc tibi Romule palma,  
 Tempore quo letho ductorem Acrona dedisti.  
 Acron Hercules Romanis finibus olim,  
 Martia sub signis infestes intulit arma.  
 Ausus Romulidum primus concurrere pilis.  
 Usque adeò iam finitimas discordia gentes  
 Inter gliscebat: nunc nunc furor iraque mentes  
 Precipites turbant: creuit violentia maior.  
 Confessu cauea, totóque accensa teatro.  
 Romulus armisonam cum primùm conderet urbem,  
 Pauper & infirmi signaret mania limo,  
 Quæ post regifico luxu extruxere minores,

Cum

Cum rerum facta est armis pulcherrima Roma.  
 Collectam agrestúmque manum, turbámque per agros  
 Pastorum, truncis & duro robore natam,  
 Non regum imperio assuetam, non legibus ullis  
 Frenatam, queis mos iam pridem viuere raptó,  
 Sectaríque feras, pérque auia lustra vagari,  
 Sponte rudes docuit solers deponere mores,  
 Cultúmque horrentem, & freno parere volentes  
 Iura magistratúsque sequi, lectúmque senatum.  
 Neu foret urbs ullis unquam viduata colonis,  
 Immunem dedit esse locum cui nomen Asylo  
 Fecerat: hoc demum Romana potentia creuit.  
 Huc quicumque solum vertere, & dulcia tecta  
 Liquerunt, profugi, pulsíque penatibus audax  
 Turba ruunt, fontes, lethique è limine rapti  
 Conueniunt, densíque omnes ad mania inundant.  
 Exiguo veluti stringit sata pingua riuo,  
 Decurrens Tamesis, voluitq; fluenta per agros  
 Angusta clausus ripa: hinc delata receptat  
 Flumina, quæ varij dant auxiliaribus undis  
 Amnes, ipse suo donec tumefactus in alueo  
 Vix sese capit, admirans sonitúmque suásque  
 Haud iam undas multis dum cornubus exit in æquor.  
 Iámque opulenta virum gens, & munimime tuta  
 Sub patrio, unanimes socialia fœdera iungunt.  
 Propositum cunctis unum, mens omnibus una,  
 Tutari regem, libertatémque suorum.  
 Hunc unum accipiunt cupidi, agnoscúntque volentes,

Non illi imperio aut monitis parere recusant.  
 At regi longè surgit sententia maior  
 Romano: stat connubiis pactisque hymenæis  
 Prolem sufficere, & generatim robur adultæ  
 Pubis, dispereant ne nullo semine prima  
 Fundamenta urbis, populique ab origine cuncti  
 Intereant, & res vertatur funditus omnis.  
 Nam genus in terris animantium quòdque propago  
 Auget, nec veterem sinit euanescere stirpem.  
 Ipsa quoque omniparens fœtura gaudet adulta  
 Tellus, & è gremio genitalia semina fundit.  
 Hinc urbes auctæ, hinc populi & surgentia magnas  
 Regna ad opes emerferunt, rerumque potita  
 Latè finitimis & gentibus imperitarunt.  
 Hæc secum dum sollicitus sub corde volutat  
 Romulus, & magno curarum tunditur æstu,  
 Coniugiùmque animo versat, paruosque nepotes,  
 Nec iam consiliis potis est euoluere mentem.  
 Hinc genus incultum, genus insuperabile bello,  
 Queis natura ferox, iam quando asperrima quæque  
 Dididicit, non hi imperium, non fræna retractent.  
 Hos si iam prolis generandæ copia desit,  
 Aut bello absumi, aut lento tabescere morbo.  
 Tantorum quid enim audacter frustra laborum  
 Impensis actum, si quæ sua seclâ propagent,  
 Vnius exitio penitus subuersa ferantur.  
 Non hinc æternæ sperari præmia laudis,  
 Non decus aut famam, periturâque nomina letho.

Illinc

Illinc Romanos durus circumsonat hostis  
 Armis, inque ipsos propè muros arietat urbis.  
 Hos si vel placare queat, si vincere blandis  
 Promissis animos, aut pertentare precando.  
 Quæ demum inuidia augere incunabula gentis  
 Propagare urbem, roburque asciscere in armis?  
 Ergo finitimas latè dimittit ad urbes  
 Delectos oratores, iubet ordine fari  
 Qui sint, quid veniant, cuius præcepta faceessant.  
 Interea ipse armis pubem designat agrestem  
 Sortitus numerum, & primæuæ robora gentis  
 Diuidit inque maniplares, validasque cohortes,  
 Fortesque armato legiones milite complet.  
 Addit subsidium pediti, miscetque cateruas  
 Florentes equitum, & magno quatit impete campos,  
 Agmina terna pari numeroque & viribus æquis,  
 Sessorum lucent sagulis cristisque decora.  
 Ipse acies seruare docet, docet ordine signa  
 Ritè sequi, & conferre gradum, peditemque ferire  
 Cominus hostilem, fictisque laceßere in armis.  
 Sicut ubi geminæ fulgent bicoloribus alis  
 Directæ buxo turma, pictæque relucent  
 Ordinibus variis peditumque equitumque cateruæ,  
 Stant inimicæ acies densatis frontibus ambæ,  
 Mutuæque inter se necquicquam vulnera tentant,  
 Innectuntque moras & ludicra præmia Marti  
 Laudis amore cient: animis stupet inscia pubes,  
 Inspectans ludum, transmissaque verbera buxi

I

Collatósque gradus, lunatósque impete gyros.  
 Iámque oratores redeunt, responsa ferentes  
 Dura tyrannorum: hos inter mandata Sabini,  
 Ceninésque dabant haud mollia, & ipse Quirinus  
 Non parua vulgi circum cursante corona  
 Incinctus trabea, solióque innixus acerno  
 Sceptra tenens, queis & fontes frenáque rebelles,  
 Hortatur fari quos det vicinia motus,  
 Quídue ferant memorent, quae sit fiducia rebus.  
 Quos inter fandi Cocles doctíssimus infit.  
 Venimus antiquos pecorosa per arua Sabinos,  
 Contigimúsque locum, steterunt quâ tecta superbi  
 Mollibus in pratis Tati, veniámque precamur.  
 Postquam intromissi & nobis data copia fandi,  
 Dicimus & patriam, nomen, proavósque docemus,  
 Praeferrimus tædas, licitósque rogamus honores  
 Connubij, fidum & consanguinitate propinquum,  
 Spondemus fædus: quo stent res cardine famur.  
 Rex contrá paucis suspensísque edidit ista:  
 O genus incultum & durum. Romana propago,  
 Quae vos præcipites dementia cepit, ut urbem  
 Moliri, nullo libeat munimine tutam?  
 Vos noua progenies nullis maioribus orta,  
 Fædere finitimas petitis fædúsque Sabinas  
 Poscitis, & vinclo nostras sociare iugali.  
 An quia prædonum dotentur nomine nuptæ?  
 Aut nostro demus exitio socialia iura?  
 Scilicet hac vestros maiores cura remordet.

Ite

Ite mea hæc regi vestro mandata referte.  
 Non nos hortati sumus urbem condere: nec nos  
 Suasimus è siluis agrestum cogere turbam.  
 Quòd non pro libito cesserunt ultima primis,  
 Non nos incuset, nec enim incusare iuuabit.  
 Connubium petit, & viduatam ciuibus aulam  
 Extimuit: spem ne ille alienis ponit in aruis?  
 Quin Albam repetat regnóque abducat auito.  
 Innuptas: illic potiùs considerare regna.  
 Fas: non híc pactas alimus lætósque hymenæos.  
 Hæc tibi Cenines, aliúque hæc optime regum  
 Mandant: hæc Tatio constat sententia regi.  
 Quae postquam accepit responsa relata Quirinus,  
 Utque feros vidit populos, regémque superbum.  
 Fædere non ullo precibus non flectier ullis,  
 Æmula sed sceptris aliorum surgere regna:  
 Hinc demum inuidiam enatam, rebúsque negatum.  
 Iam fessis, iam tum surgentibus omne leuamen,  
 Nec bene apud veteres collectos stare colonos,  
 Quos iam maiestas, regníque innata cupido,  
 Pérque tot antiquis deductum secula nomen  
 Florentis monuit sperare incommoda fama,  
 Exstructásque iugum sibi veri desuper arces.  
 Hæc secum versans, iam tentamenta relinquit,  
 Extemplóque dolos, fraudémque innectere certat.  
 Ergo in concilium ciues turbámque Quiritum  
 Aduocat: huc tota passim discurretur urbe.  
 Nondum insignibant direpta rostra carinae,

I ij

Nec sensura patrum prudentes Curia voces,  
 Picta coloratis gemmis radiatue Pyropo,  
 Fulgebantue auro summi laquearia tecti.  
 Nec dum tincta croco splendebant vela theatri,  
 Purpura nec circum sedes Melibæa cucurrit.  
 Aut circus populo belli simulacra ciebat,  
 Qui toto post barbaricas oriente subacto  
 Vexit opes, atque Actiaci monumenta triumphi,  
 Per medium fluuio missus cum Tiberis amæno,  
 Hospita regna dedit pictis innare carinis.  
 Cernere erat puppes toto decurrere circo  
 Turritas: magno certatum est æquore campi.  
 Ardua stant densæ per propugnacula turmae:  
 Stupea flamma volat, volat unà missile ferrum,  
 Permissusque ruit miles, ferit æthera clamor  
 Nauticus: & rostris spumat stridentibus æquor.  
 Urgent Romulidæ, latique ante ora parentum  
 Vulnera non dubitant magna pro laude pacisci.  
 Tum loca senta rubis dumisque horrentibus altum  
 Non tanti nomen poterant sperasse triumphi.  
 Ipsi tum ciues humili succedere tecto  
 Assueti, & fului exuias gestare leonis,  
 Aut panthere tegi, vel pelle Libystidis orsa,  
 Hicque sparo, iaculoque manus onerabat acuto:  
 Ille rapit validam armatus de more bipennem.  
 Iamque impunè ruit, volat ille impunè per agros.  
 Et magnum clamore premit in retia ceruum  
 Atque volutabris summi de vertice montis

Fulmi-

Fuluineos deturbat agens ignobilis apros.  
 Sin mos conciliis, aut res tractare seueras,  
 Ecce dabat pastoralis tum buccina signum.  
 Olli condensis iam circum compita inundant,  
 Intentique astant, quæ nam sententia regi  
 Surgat, ubi moneat fessis succurrere rebus.  
 Ipse sedet, sceptroque omnes compefcit auito,  
 Donec conticuit turba, atque silentia facta  
 Verbis: tum surgens solio rex insit ab alto.  
 Audite ô ciues, & spes iam discite vestras:  
 Cernitis ut fastu ventoso concitus hostis  
 (Haud equidem libeat dignari nomine nullo  
 Fœdere coniunctos alio sociosque vocare)  
 Iam responsa dedit, fidensque ut sæuiat ultro:  
 Sæuiat ille quidem, verbisque exerceat iram,  
 Multa impunè licet: non Martem verba fatigant,  
 Nec bene apud fortes vanæ stat gloria linguæ.  
 Connubium petimus: quid enim petiisse iuuabit,  
 Irrita ludificent si nostra fœdera gentis.  
 Non nos vastamus latè populatibus agros,  
 Nec versam rapimus prædam, atque laceßimus hostem.  
 Non ea vis animo, aut cœptis fiducia rebus,  
 Quamuis subsidium, & bello sit viuuda virtus.  
 Progeniem cupimus, petimus durantia regna.  
 Abnegat hoc hostis, vitam quoque denegat idem.  
 Quid vetat assumptis iam nunc tutamen in armis  
 Ponere: crudelémque vlcisci cominus hostem  
 Vastatorem hominum, pestémque propaginis huius.

I ij

Scilicet expectem dum stirps ab origine tota  
 Intereat, nobisque labor cadat irritus omnis?  
 Non sic maiores nostri cum classe tenerent  
 Italiam spreti: verum hospitioque Latini  
 Excepti, natamque tulit Rhatæius heros.  
 Nec sibi vim inferri passi, thalamosque petitos.  
 Vnius ob furiam auferri, nec prole futura  
 Se defraudari, decus at virtute tuentur,  
 Et bello repetunt pactas, licitosque hymenæos.  
 Hinc emanarunt tandem Lauinia regna  
 Albanique patres, deductaque secula regum.  
 Hinc & progenies nostra, & fundamina prima,  
 Aneadumque ultrò iactamus origine stirpem.  
 Et dubitamus adhuc armis accendere Martem?  
 Quem (si quid veri) referunt cunabula nostra  
 Patrem: nec frustra Martis gaudemus honore.  
 Nunc ergo melius quò possit confieres,  
 Verba mea attentè vestras dimittite in aures.  
 Non ego nunc ignominiam, fœdâque repulsam  
 Armis ulcisci, sinésue inuadere conor.  
 Ne mihi sit tanti durum certamen inire,  
 Nec veniat multo cum sanguine præda relata.  
 Adueniet posthac vobis (ne accersite) tempus,  
 Cum dabitur meritas inimico ex sanguine pœnas  
 Sumere, & imbellem convincere viribus hostem.  
 Nunc tentare veto fortunam, tutius aptis  
 Irretire dolis, & cœcos fallere furto.  
 Haud etenim manifesta viam vis explicat armis,

Non

Non nisi vulnifico ferro obuia quæque metamus,  
 Incensisque acies regnet Vulcania campis.  
 Quin faxo vobis nullo sint parta labore  
 Connubia, hostilesque nups impunè relata  
 Pulchra prole beent, & vos vestrosque minores,  
 Ludos ipse Ioui institui Martique parare,  
 Auspicibus ceptorum operum, festosque sacrare  
 Ritè dies, letumque aris indicere honorem.  
 Ex templo certos vicina per oppida mittam,  
 Qui dicant cunctis Romana tecta patere  
 Urbis, sacra ipsos ciues solennia ferre,  
 Intentam ludis pubem spectacula tueri,  
 Laxatosque animos passim exercere choreas.  
 Quod reliquum: mora ne qua meis nunc ulla supersit  
 Dictis, neu quæ segnities vos tarda moretur,  
 Hac quoniam stant seruata fundamina Roma.  
 Vos cum prima ineunt lati proscenia ludi,  
 Atque immissa foros pubes complevit agrestis,  
 Intentique animos, intentique ora tenebunt,  
 Maturate: dabit tacitum nam tessera signum:  
 Ferte citi nuptas, date brachia, tollite matres  
 Hostilesque nups: thalamis sine lege leguntor.  
 Ipse ego, ne vestris quisquam conatibus obstet,  
 Subsidiis adero: mecum unâ robora pubis  
 Saevos turbabunt hostes, in conque globatos  
 Arma ferent, facilè que dabunt in tuta receptum.  
 Ast alij tanto prædam seruate tumultu,  
 Atque domos circum sedeat custodia fida:

Ne qua mora euersis moneat succurrere rebus  
 Sicubi fors: possint valida stipante caterua  
 Hostiles longè cuneos propellere tectis.  
 Nunc agite, & mecum lapsuras tollite vires:  
 Quisque sui tecti memor esto, & coniugis almæ  
 Terreri pudor ab fuerit: non Romulus hoc vult,  
 Vestra nec hoc patitur virtus: nunc ite theatri  
 Stipate, & duro contexite robore septa:  
 Audete: & quodcunque ferat sors, fortia corda  
 Vincant, aduersisque potens constantia rebus.  
 Ipse comes adero, nec quæque asperrima ferre  
 Vobiscum addubitem: stat Iuppiter æquus utrique.  
 Hæc ubi dicta dedit, magna perstante corona  
 Concilium rex dimisit, turbamque Quiritum.  
 Nec mora: Romulidæ præcepta faceßere iussi  
 Instant ardentes: pars grandia voluere saxa.  
 Molirique struem: pars tollere in ardua sese  
 Collis Auentini, atque Palatini iuga summa.  
 Nondum regifico surgebant culmina luxu,  
 Eratæque trabes stabant decora alta minorum.  
 Sed raris fuerant habitata mapalia tectis.  
 Omnia pascebat latè armentarius, atque  
 Proxima tondebant niuæ dumeta bidentes:  
 Ipsi consueti paruo traducere vitam  
 Horrida gens cultu, sed bello viuida pubes.  
 Iamque sonat quercus, gemit exturbata bipenni  
 Fraxinus, auulsaque ruunt radicitus orni,  
 Instrepit ingenti sub pondere faginus axis.

Ipsa

Ipsa volat furis nuptarum accensa iuuentus,  
 Nunc animis haurit spes, duraturaque regna.  
 Surgit coniugio fatalis machina, duro  
 Robore contexta, & querna compage reuincta.  
 Ardet inexpletum studiis Troiana propago,  
 Constipatque foros: scandunt tabulata subauras  
 Quæ post marmoreo texto, Parisque columnis  
 Exornata patrum seruabat purpura sedes:  
 At tum res tenues pauper Romanus habebat.  
 Imprimis hortator adest, operumque repertor  
 Romulus, exstructæ quem iam fundamina prima  
 Urbis, collectæque manus, & regia sceptrâ  
 Condecorant, famaque insignem ad sidera vectant.  
 Iamque dies aderat, constructaque septa theatri  
 Auulsura nurus matrum complexibus, inque  
 Deductura toros desponsæ gaudia vitæ  
 Externos: nuptis lugubria dona futura.  
 Extemplo primus festos indicit honores  
 Iliades, ramoque caput viridantis oliuæ  
 Cingitur: acclamant latum pæana canentes  
 Intorta ciues redimiti tempora quercu.  
 Ilicet emanat vicinas fama per urbes,  
 Intentam ludis Romam spectacula parare.  
 Undique conueniunt agris effusa iuuentus,  
 Quique colunt Ceninum arces, Gabiosque relinquunt,  
 Et quot Crustumeros, quotque armisonas Antennas,  
 Quique Fidenatum muros tenuere rebelles,  
 Omnibus intonsa innectit de more corona

K

Tempora: nec deerat Nomentani accola collis.  
 Venerat & Tatij iussu gens dura Sabini,  
 Vnà causa mali tanti venere Sabinae  
 Hisque coma in nodum collecta, sinúsque crepantes  
 Carbasei, & niueo pendent redimicula collo,  
 Ibant & proavos pariter regémque canebant.  
 Interea pubem disponunt undique agrestem  
 Confessu cauea Romani, ipsique referti  
 Agmine densato permista sedilia complent.  
 Nec deerant furtim queis inspirauerat ignem  
 Cecus amor, forma capti & iuuenilibus annis.  
 Qui lateri haud dubitent latus apposuisse puella,  
 Precipiantque animis thalamos latósque hymenaeos.  
 Hoc etenim cunctis edixerat ipse Quirinus,  
 Ne qua mora fierent tacito dispendia signo.  
 Rex solio interea sublimis sedit acerno,  
 Et iuxta astant primæque robor a gentis,  
 Quos numero ex omni tales selegit in usus,  
 Vim facerent, Martemque inuadant ære canoro,  
 Sicubi res poscat, pugnaque urgentur iniqua  
 Permisti socij, atque fuga cogantur abire.  
 Inde ubi digesta est toto vicinia circo  
 Confessumque oculis cauea, turbamque suorum  
 Lustravit, mentemque tulit circum omnia solers,  
 Actutum currens tacitum dat tessera signum:  
 Nec mora: confestim iuuenum manus emicat ardens,  
 Pars nuptas rapiunt: pars pellunt eminus hostem  
 Insultantque toris, matrumque amplexibus ipsas  
 Auellunt

Auellunt natas: facies fœdissima rerum  
 Exoritur miseris: furit effrenata iuuentus.  
 In syluam veluti cum flamma rapacibus Austris  
 Incidit: egregiumque altè populatur honorem  
 Ramorum: illa ruit victrix crepitante sonore,  
 Ligna per & truncos virésque acquirit eundo,  
 Iamque impunè dedit stragem, & via facta per agros.  
 Haud alia in septis circi consurgit imago.  
 At pubes excita agris petit: auia cursu,  
 Crispant tela alij, sudibusque minantur acutis,  
 At longis alij certant propellere contis.  
 Hostes, optatamque ultrò diuellere prædam.  
 Mox conferre gradum glomerantes agmen in unum.  
 Hærent Romulidæ, & connixi cominus urgent,  
 Cogit amor patria, laudumque arrecta cupido:  
 Subsidio accurrunt socij firmantque cateruas:  
 Ast alij rapiunt nuptas, thalamisque reponunt,  
 Interea vario miscentur septa theatri  
 Luctu: pars durum proturbant eminus hostem.  
 Instat vi patria Iliades, telumque coruscat.  
 Hortaturque alios, resonant plangoribus ædes,  
 Luctifonisque armis & fœmineo ululatu.  
 Stabant necquicquam percussa pectora palmis  
 Matres, effusæ crines & lumina mæstæ  
 Demissæ in terram, optabantque abrumpere vitam.  
 Diffugiunt aliæ pauidæ, & sese obice postis  
 Eripiunt oculis, aut post tabulata recondunt,  
 Horrescuntque truces vultus, mutatæque iura



Connubij, & sortem multum miserantur iniquam  
 At pubes circo paulatim excedere tota  
 Hostilis, referens vibrata iurgia lingua  
 Pulsatosque Deos, violataque fœdera lecti.  
 Deseruere urbem, atque extra pomaria tendunt:  
 Ultrices secum curas sub corde coquentes.  
 O quoties mœsti torserunt lumina retro  
 Ereptas questi tædas, & pignora chara:  
 Pignora post paulo Martem accensura cruentum.  
 Romulida passim deueruescente tumultu  
 Abscessuque hostis leti, raptoque potiti  
 Mente agitant thalamos, dulcésque canunt hymenæos:  
 Ipse suos collaudatos ingentibus ornat  
 Promissis rex, virtutemque accendit in armis.  
 Maeste inquit tantos qui nunc peperistis honores  
 Inuitæque extorsistis connubia genti:  
 Hæc surgunt ciues primæ cunabula Romæ.  
 Hæc fatus, prædam ex æquo partitur in omnes,  
 Et dat habere cuique suam qua latificetur,  
 Et pulchra cernat succrescere stirpe nepotes.  
 Interea iam finitimas compleuerat urbes  
 Fama, suos Roma pulsos fœdatæque iura  
 Coniugij, abstractasque nurus, tedisque potiri  
 Romanos rapti dominos, gentemque superbam.  
 Undique coniurat celeri vicinia motu,  
 Conueniuntque armantque manus, Martemque fatigant  
 Indomitum, penasque inimico à sanguine poscunt.  
 Princeps florentes cogit sub signa cohortes,

Et

Et latè Tatius vastat cultoribus agros.  
 Ardent ante alios Cenines effera pubes,  
 Quos tangunt nupta, raptæque iniuria formæ,  
 Et genus inuisum, & despectum robur in armis.  
 Rex hortator adest, niueisque exultat in armis  
 Acron Hercules, Romanis finibus olim  
 Ingens terror, Romanosque laceffere bello  
 Ausus, Ceninum ductor veniebat ab arce,  
 Eratasque armabat ouans in prælia turmas.  
 Ipse micans sagulo incedit, cristisque decorus,  
 Et spumantis equi calcaribus ilia pulsat,  
 Ferratum valido vibrans hastile lacerto.  
 Gens munita viris glebasque inuertere sueta  
 Horrent in iaculis, teretes sunt acides illis,  
 Et mucrone breui pugnant, sænoque veruto.  
 Scuta sonant, subterque pedes gemit excita tellus.  
 Olli signa mouent, ruit effera in arma iuuentus  
 Insultantque solo, atque laceffunt iectibus auras.  
 Quam multi undisono voluuntur in Atlanteo,  
 Aut mare Carpathio fluctus, cum turbida ponto  
 Sæuit hyems, vertuntque Austri pluuiialibus Hædis  
 Quantus Riphæis stridens incumbit ab oris  
 Et Libycæ nimbos Boreas prouoluit arena:  
 Classica pulsa iuuat, lituosque audire sonantes  
 Armæque tractare & telis insuescere dextras.  
 Quos simul ut vidit cupidos in prælia ferri  
 Acron, indomitosque animi impavidosque pericli,  
 Incipit his super. O bellis exercita corda

K ij

Nec quicquam iuuenes, vobis si fortia certum  
 Facta sequi, audentemque infracto pectore in hostem  
 (Quæ rebus surgat nostris fortuna videtis)  
 Protinus irruimus, & parta est gloria pugnae:  
 Non Tatij turma, non nos vicina moerentur  
 Arma, nec adiunctum robur, validæque cohortes.  
 Est nobis pubes, sunt fortia pectora bello,  
 Sunt dextra inuictæ, & numerus, spectatæque virtus:  
 Et cessamus adhuc? Marsque hæc nunc ventilat arma?  
 Ille manus cogit pastorum, armatque cohortes  
 Agrestes, nostrisque struit cervicibus arces.  
 Vnde hæc tam subito regnandi innata cupido?  
 Aut quæ tanta nouis surgit fiducia rebus?  
 An quia pro libito cessere iugalia rapta,  
 Excidium nobis hostis, bellumque minetur?  
 Credo equidem, atque ultrò nostros inuadere fines  
 Iam properet, Martemque iniurius inferat ille.  
 Quem generi inuisum furtiua cubilia matris  
 Condecorant, noménque addunt ventosæque verba.  
 Scilicet & vanum ignavis stat gloria nomen,  
 Bellipotensque Deus non fortia ventilat arma:  
 Haud pugnae assuetum peditem trahit, aut eques olli  
 Bellator duro qui quasset verberare campos,  
 Gens melior furto, gens rapto viuere sueta.  
 Quid nos ex illo grauius sperare docebit  
 Quem sua pœna manet commissorumque tela  
 Vltricesque iræ diuum, lectique iugales?  
 Et nunc quòd viuit, quòdque incunabula gentis  
 Molitur,

Molitur, nostròque auulsit fœdere pactas,  
 Gratia debetur nobis: nos irrequietos  
 Passi quos decuit gentem exstirpassè nefandam.  
 Eia ergo resides animos, sopitæque corda  
 Exercete viri, durumque inuadite Martem.  
 Nec collectitijs vestrae nunc æmulus ultrò  
 Assurgat pastor virtuti, aut arma capeßat  
 Impunè, & tantis sese iactauerit ausis.  
 Ecquis erit vestrum, mecum qui vellere signa  
 Audet, & aduersos primus contendere in hostes?  
 Non hic cunctando Ceninum gloria surgit  
 Armisue ascitis, decorantur nomina vera,  
 Nec quicquam virtus quæ sita est indiga lucis.  
 Ite, & quas tandem sauo petiistis ab hoste  
 Viribus has vestris freti nunc sumite pœnas.  
 Hæc ubi dicta dedit, cunctantes increpat ultrò,  
 Verbisque accendit virtutem, & suscitât arma.  
 Ardet ductoris monitis accensa iuuentus:  
 Arma fremunt læti, strepit omnis murmure campus.  
 Qualis apes æstate noua dum cerea figunt  
 Castra fatigat amor studiumque exercet habendi  
 Florilegas: at missa fauis ruit agmine factò,  
 Et circum regem glomerat, pennasque coruscat  
 Turmatim pubes fucos præsepibus arcens.  
 Talis erat facies legionum, talis & ipse  
 Per medios incedit ouans, & vertice supra est.  
 Insequitur peditum nimbus, densatæque longum  
 Pectora limitem agunt, ferro telisque corusca.

It cælo clamor, iamque omnis fluctuat ære  
 Tellus, & armigera signa explicuere cohortes  
 Campis in mediis, ferit æthera splendor ahenus  
 Sole lacebitus: seruâtque arata tenorem  
 Latè acies: milésque suis radiabat in armis.  
 Hic ut fortè Acron tardum præcesserat agmen  
 Crispans, hostilem in terram iacit eminus hastam.  
 Quantus nubigena adueniens de vertice celso  
 Montis Centaurus, Pholoënque relinquit opacam.  
 Sic iuuat ô socij hostiles subvertere fines  
 Ferte citi flammæ, date ferrum, perditæ gentem.  
 Hæc ait, irarúmque omnes laxauit habenas:  
 Collucet latè culti populatibus agri:  
 It longus flammarum ordo, passimque peredit  
 Purpureum decus, & sata læta boumque labores.  
 Intere à Romæ trepidus fert nuntius hostem  
 Aduentare ferum, & latè dominariæ agris  
 Cenines, stragémque dare, atque exurere cuncta.  
 Aduocat extemplò duros in arma Quirites  
 Iliades: instata citum dat buccina signum.  
 Non etenim mentis dubius fuit, arma parare  
 Vicinos rex, & Romanis dira minari:  
 Ipse sed hostiles inuadere noluit agros,  
 Contentus iam tum secure viuere parto:  
 Néue rudem longè deducere in arma Volonem,  
 Quem fictum edocuit Martis certamen inire,  
 Et nudo tantùm decurrere prælia nisu.  
 Tum verò certare domi, & decernere ferro

Constituit,

Constituit, virésque omnes effundere regni.  
 Ut belli signum Iliades indixit in urbe  
 Martiâque horribili strepuerunt cornua bombo:  
 Romulidæ passim iam increbescente tumultu  
 Pars suras ære includunt, & spicula prensant.  
 Pars aptant capiti rubris caua tegmina cristis.  
 Ille sparum capit, & thorace insignis aheno,  
 In pugnam prodit, ferratâque pila retractat.  
 Ast alius rapit aratam de more bipennem:  
 Flauentémque lupi gestat de pelle galerum.  
 Hic fulget squamis, loricámque aptat habendo  
 Ære grauem, & sese reliquis immiscuit armis.  
 Olli iam glomerant circum prætoria densi  
 Indomitam belli virtutem corde prementes:  
 Stant circum peditum cunei, mistâque cateruæ  
 Florentes equitum, interlucébâtque corona  
 Densa, segésque virum strictis mucronibus horret.  
 Ipse ardet, fulgétque pater Romanus in armis  
 Cui summo surgit flammans de vertice conus,  
 Igniuomæque lupæ stat sustentata figura,  
 Argumentum ingens casus: triplicémque superne  
 Portat terribilem Cætis galea ærea cristam.  
 Igne micant oculi, clipeóque insigne paternum.  
 Iram circumfert pallorem, & lurida fata.  
 Dextra fraxineam vibrat Mauortius hastam  
 Arboream, laterique decorum accommodat ensẽ.  
 Esse sui dederat Numitor quod pignus amoris,  
 Cùm linquens Albam peregrina inuiseret arua.

L

Iamque acies lustrat, versatque per omnia mentem,  
 Et nunc huc animum solers, nunc diuidit illuc.  
 Postquam digesto turmas videt ordine stare  
 Oblonga innitens hasta sic edidit heros.  
 Si nostra nosmet licuisset mente tueri,  
 Non foret ambigui Mars nunc certaminis author,  
 Nec quisquam prædas Romano verteret agro,  
 Aut nostris insultaret bellator in aruis.  
 Namque (fatebor enim) non me fundamina prima  
 Urbis molitum, cuiquam quia noxia starent,  
 Aut ultrò quò finitimis iniurius essem.  
 Sed me vestra salus rebus succurrere egenis  
 Admonuit: potiùsque hæc tentamenta pacisci,  
 Quàm nostræ exstirparentur cunabula gentis.  
 Parua sub immensa quæ sese subiicit umbra  
 Matris, ventorum facile exturbata ruinam  
 Dat flabris arbor, penitùsque ruit malè tuta,  
 Eandem cum vires tellus firmauerit alma,  
 Haudquaquam eruere horrissonæ valere procellæ.  
 Nobis nec pacis studium, nec defuit author,  
 Quidue intentatum, aut quid inausum liquimus ultrò.  
 Prætulimus pacemque & vitas more precantum.  
 An quia delicti veniam daret impius hostis?  
 Aut nostro immitis sceleraret sanguine dextram?  
 Credo equidem, & tantum nobis inuidit honorem,  
 Exstructæque recens urbi negat incrementa.  
 Proh pudor: anne parum visum est subvertere iura  
 Humana, & penitus delere ab origine gentem,  
 Bellæ

Bella nisi indicat, populabundusque minetur?  
 An nobis tanti fuerat rapuisse iugalis  
 Vincla tori, illorum ut lethum ergo sponte pacisci  
 Non dubitaremus, tantique accendere belli  
 Causas, surgentemque urbem in discrimina summa  
 Coniicere, externa si nil foret indiga sortis?  
 Scilicet incepto decuit desistere victos,  
 Incassumque queri tantum cecidisse laborem.  
 Non nos iccirco iunxit fortuna laborum.  
 Consortes, vitam ut liceat traducere inertem.  
 Urbe frui, raptisque dedi connubia lectis,  
 Queis sine non nostræ poterunt assurgere vires.  
 Ut maneat fors hoc vestrum hoc concedite ciues.  
 Iliades ego vos per mille sequentia tela  
 Et rex & socius comitabor in arma volentes.  
 Non hîc iam ludi, non hîc ludicra petuntur  
 Præmia, queis licuit caruisse & funera gentis  
 Cernere suprema, & cinefactis mœnia bustis.  
 Hoc equidem voluens, potiùs committere vestræ,  
 Virtuti statui rem, quàm quid linqvere inausum,  
 Quod nostri propagaret fundamina regni.  
 Quid valeant hostes, quid nos, non pauca pigeret  
 Dicere, Romanis deesset modo virida pubes.  
 Forsitan & numerus sumus, insidiâsque cubili  
 Tendimus alterius, nullique accommoda pugna  
 Pectora gestamus, cito deficientia Marte.  
 Non vestrum quisquam sit qui putet hostibus esse  
 Aut molles animos, aut non innoxia corda.

Excidio veniunt urbis, flammamque minantur  
 Tectis, & ferrum tractant in viscera nostra.  
 Hæc & virtutem ignavis accendere possunt:  
 Quid vobis? & quæ iam surgit conscia fama?  
 Ecquid in aduersos valeant tot pellere clades?  
 Arma parate viri, gentemque excindite ferro  
 Quam non iam valere preces, non flectere verba  
 Crudelis nostri ut saltem miserescere vellet.  
 Res vobis est cum paucis, fretique suis iam  
 Viribus, haud illi fulti socialibus armis,  
 Cenines audent victricia figere signa  
 Sedibus in nostris, ultròque accendere bellum.  
 Quare agite, & mecum sæuos contendite in hostes  
 Cum bella exposcunt res, & furit effera pubes  
 Hostilis, dirum non exaturata dolorem.  
 Quisque viri pro se nervos intendite ferro,  
 Nec vos indecores aliena cubilia monstrent.  
 Audaces inuit fortuna, fauebit & equus  
 Iuppiter: inuiti quoniam spoliauimus hostem.  
 Hæc ait, alipedisque ferox premit ora lupatis.  
 Stat sonipes: tergumque ultrò submisit herili  
 Dextra haud inscius, & regem super excipit artus  
 Notos: insultatque solo glomeratque superbos  
 Gressus, atque volens fertur generosus in hostem.  
 Ipse sedet, nuncque huc laeuos, nunc flectit & illuc  
 Dextros in gyros, specimemque sui dat in armis  
 Romulus, accenditque animos prestantibus ausis.  
 Ardent Romulidæ, & magno clamore sequuntur  
 Regem,

Regem, miranturque ducem gaudentque tueri.  
 Primus init pugnam factisque & nomine clarus  
 Hostilius, primasque datum illi ducere turmas  
 Et stricta hostiles cuneos inuadere ferro.  
 Postremas acies coërcebat Horatius, altum  
 A quo nomen habent seruata mœnia Roma.  
 Iliades medio versatur in agmine ductor  
 Condensatque manus: hunc pubis lecta sequuntur  
 Robora, & inuictæ comitantur in arma cohortes  
 Vix lapidem promouerunt ex urbe secundum  
 Romulidum cunei, fulgebantque ordine longo  
 Cum procul aduerso glomerari puluere nubem  
 Cernunt, mox piceo sensim euanescere tractu,  
 Et subtexere atra purum caligine cœlum.  
 Iamque propinquabant, radiatque corusca tenore  
 Lato acies, atque arata fulsere cateruæ  
 Campis in mediis: tum lucida spicula ferro  
 Apparentque hastæ clipei que micanti que æra.  
 Extemplo monuit turmas inferre pedestres  
 Hostilium rex: & lentè contendere in hostes,  
 Ne rapido cursu quassaret anhelitus artus,  
 Extinctoque pedes ferretur in arma vigore.  
 Nec mora: Cenines conspecto protinus hoste  
 Sponte sua, accensique ducis virtute, feroces  
 Contendunt cursu, transmittuntque impete campos.  
 Euolat ante alios Veles, pugnamque capeffit,  
 Hostilesque acies tentat, virésque resumat  
 Missilibus: ruit hastarum ferrugine nimbus

Attráque telorum tempestas ingruit alto.  
 Hostilius contra emittit leuia arma, iubétque  
 Insultantem ultrò, propellere longius hostem.  
 Emicat è peditum cuneis Romanus, & acer  
 Sistit se contra, paribúsque accingitur armis.  
 Pila manu vibrans, parmáque inglorius hirta.  
 Iámque subit pugnae intrepidus, versique feruntur  
 Cenines, facilémque petunt in tuta receptum.  
 Rursus & erumpunt, & mollia colla reflectunt,  
 Inque vices agitant Romanos æquore toto:  
 Nunc videas premere, & tela intentare cruenta  
 Nunc fugere, & pauidos hosti dare terga sequaci.  
 Qualis in Euripo Euboici prope littoris oram,  
 Aut qua vicinis Bæotia tunditur undis,  
 Alternos voluit mare fluctus, itque reditque  
 Incanas rumpens rauco cum murmure spumas,  
 Septenásque vices agitat, æstúsque resorbet.  
 Verùm ubi tot fecisse moras, tot spicula tædet  
 Spargere, & incassum vires iactare per auras.  
 Ecce propinquabant magna cum mole phalanges  
 Intactæ peditum: ruit omnis copia in unum  
 Romulidúmque manus, Ceninúmque effera pubes.  
 Fit clamor, raucoque sonant caua cornua cantu.  
 Princeps Cenines inuasit, & agmina prima  
 Hostilius strauit, perfusus sanguine dextram  
 Eius qui primus se comminus obtulit ultro.  
 Venerat extremis Ceninam finibus olim  
 Infelix Choritus, raptæ quem coniugis ira

Curaq;

Curaq; ultrices agitant, animósque ministrant.  
 Dixerat ille aliquid magnum mediásque volabat  
 Per turmas, clauáque insignis prælia obibat.  
 Non pudet agrestem vix sustinuisse cohortem  
 O socij pecori assuetam, & siluestribus antris.  
 Eia audete viri, durámque cape site pugnam,  
 Nec vos ignauos illata iniuria monstret.  
 Talia iactantem Choritum clauáque furentem  
 Non tulit Hostilius: sed magna cominus ensem  
 Vi rotat, & duro costas transuerberat ictu.  
 En tibi pastores & quæ Cenine petebas  
 Arua, superstrato metabere corpore fusus.  
 Hac siluestre genus pro verbis facta reponunt.  
 Dixit, & infesto ferrum mucrone coruscat  
 Obuia quæque metens, magnóque dat aggere stragem.  
 Iámque fuga turpi nudassent terga feroces  
 Bello Cenines, ni prima ad signa suorum  
 Vectus equo celeri, ductor reuocasset in arma  
 Acron: Quò fugitis per vos raptásque iugali  
 Desponsas lecto, hunc mecum tolerate laborem  
 O ciues: en queis bellum lethale minati  
 Tanti polliciti ultores vos affore rapti.  
 Fiditis an pedibus? quò vestri cura recessit  
 Vobis? hæc fœdata tenent populatibus arua:  
 Illinc terga premit nostrorum raptor amorum.  
 Ferro rumpenda est via, qua densissimus urget  
 Iste virum globus, hac vobis Acrona peremptum  
 Fata dabunt: pudeat ductorem terga dedisse.

Ecquis erit mecum qui primus tendat in hostem?  
 An vestrum immiti confossum vulnere Acrona  
 Cernere laus fuerit? faxo miretur & hostis  
 Virtutem, & nostro haud frustra se sanguine iactet.  
 Hac ubi dicta dedit, calcaribus ilia pulsat  
 A lipedis, peditemque hasta moriturus & ipse  
 Transadigit pectus, ferrumque in corpore fixit.  
 Inde ardens alium stricto superoccupat ense.  
 Fit via vi: toto furit igneus æquore ductor  
 Ceninus, virisque suis & suscitatur arma.  
 Ac veluti multos æstu quem torrida fouit  
 Africa Getulus leo, densa indagine pubes  
 Undique quem cingit, quatiuntque cruenta per armos  
 Tela: furit: mediisque audax irrumpit in hostes  
 Dentibus infrendens, spumasque ex ore reiecit:  
 Iamque ruit, caudaque latus diuerberat ultrò  
 Impavidus: telum frangens, hostemque lacepsit  
 Fulmineus: pulchramque petit per vulnera mortem.  
 Haud aliter medios ductor Ceninus in hostes  
 Prorumpit: sternitque viam praestantibus ausis.  
 At socij virtute ducis, monitisque superbi  
 Instaurant acies, rursusque feruntur in arma  
 Romulidum cunei, Ceninumque agmina prima.  
 Herent permisti iam, sortitusque virum vir  
 Plurima dimittant Mauortia pectora letho.  
 Sternit pes peditem: densataque copia inundat  
 Campis in mediis: ferit aurea sidera clamor.  
 Ipse furit, multosque cruento demetit ense

Acron

Acron Hercules Cenina gloria gentis.  
 Stabat villosi contactus pelle leonis,  
 Loricamque super squamis, atque ære trilicem  
 Induerat Curius Regi gratissimus, idem  
 Hostilio comes datus, exultabat in armis  
 Acrisus equo, turmamque regebat equestrem.  
 Huic pugna dum intentus erat Martemque fatigat,  
 Quam caput annexa collum compage ligabat,  
 Terque quaterque caput circum acto diffidit ictu.  
 Voluitur exanimis, Romanaque calcibus arua  
 Verberat, & frustra patriæ reminiscitur alma.  
 Pars belli ciues confecta: en nostra peremptum  
 Dextera dat vobis Curium, hostilesque cateruas.  
 At ciues animosa phalanx clamore sequuntur  
 Læto ductorem, perumpiuntque agmina ferro:  
 Urgent Romulidas, telorumque imbre relaxant  
 Densatos cuneos: iamque omnis in æquore lato  
 Fluctuat ordinibus turbatis lucida turma.  
 Olli cesserunt: acies inducit ouantes  
 Acron, victoresque suos nunc increpat ultrò.  
 Incumbunt magna vi, proturbantque ferocem  
 Cenines hostem: non ductor in agmine primo  
 Non sufferre valent Romani: turbine tanto  
 Magnanimus versat dextram, Martemque fatigat  
 Ceninus, sternitque ingentes hostium acervos.  
 Nuntius extemplo diuersa in parte furenti  
 Regi perfertur magna iam feruere cade  
 Acronem, victosque suos excedere pugna.

M

Nec mora: subsidio dimisit in arma cohortes  
 Iliades lectas: sequitur clipeata iuventus.  
 In medio fertur cristato vertice fulgens  
 Immanem gestans hastam Mauortius heros:  
 Quantus pugnaces cum Mars prorumpit in hostes  
 Seu Thracas inter mouet illatabile bellum  
 Sive Getas, cedunt acies turmaeque furenti,  
 Sub pedibusque gemit tellus, rapidoque reiecit  
 Verbere concretam sonipes cum sanguine arenam.  
 Talis in aduersos infesta cuspide ductor  
 Troiugena irrumpit Cenines, qua globus urget  
 Densior aestiuis quam campus inhorret aristas.  
 Nunc agite o iuuenes delecta robor a pubis,  
 Quos tangunt nupta, spretaque iniuria gentis.  
 En cessatis adhuc pugnae immiscerier acri?  
 Nec iam vos ultrix sociorum cura remordet,  
 Qui tot victorum manibus cecidere subacti.  
 Nunc o nunc audete viri, cum bella resurgunt  
 Tanta, manusque exposcunt res, et viuida corda.  
 Hec ait, et dicto citius se turbidus infert,  
 Dignus auis atavisque et tanto nomine clarus.  
 Direxere acies Romani, infractaque bello  
 Pectora restituunt, inclinatosque maniplos.  
 Qualis fluctuago lentant cum marmore tonsas  
 Desessi nauta, et languent in corpore vires  
 Pace implorata diuum, precibusque secundis  
 Lenior aura venit, curritque iter inscia puppis  
 Et plenis pontum sulcans subit ostia velis.

Tale

Tale fuit fessis Romani copia regis  
 Subsidium, viresque animis atque addidit arma:  
 Ergo iterum magna inter se concurrere opum vi  
 Ausonij geminas acies videre ducisque  
 Nec fuit indignum dotari sanguine nuptas.  
 Hinc rex Iliades, florentes are cateruas  
 In pugnam ducit: delectas inde cohortes  
 Euocat Hercules ductor, viresque ministrat  
 Ceninis, animosque et fortia pectora bello.  
 Incurrunt acies: magnis certatur utrinque  
 Viribus, et sauis coeunt in vulnera telis.  
 Imprimis ineunt pugnam fulgentibus armis  
 Ante alios cincti reges, Martemque capeffunt.  
 Insignes animis, insignes flore iuuenta.  
 Nam procul ut vidit multa inter millia ferri:  
 Proiectum ad primas acies, et signa suorum  
 Ceninum regem, et toto dare funera campo  
 Romulus haec prior incepit sic ore precatus.  
 Iuppiter omnipotens coeptis ingentibus adsis,  
 Da pater hoc quatio, quod nunc penetrabile dextra  
 Telum, transadigi durum per pectus Acronis.  
 Sentiat inuictam quo nunc tutamine Romam,  
 Ceninesque iugo discant insuescere nostro  
 Conuersis miser ut fatis nunc occidat ille,  
 Nostram qui primus venit vastator ad urbem,  
 Imminet et sauis Romanis arcibus hostis.  
 Ipse triumphalis tua figam ad limina templi  
 Nostris post bello monumenta minoribus esse

M ij



Armâque & insolito referam spolia ampla trophæo.  
 Annuit oranti, partemque effudit in auras,  
 Sterneret ut letho regem non cuspidis ictu  
 Ceninum dederat Deus, exuviisque potiri.  
 Sensit confestim in sese iri magnanimus rex  
 Constatit: & spatium nactus transmittere campum,  
 Bellatoris equi duris regit ora lupatis  
 Et flectit: pariterque infestam dirigit hastam:  
 Ilicet incurrunt: hasta tenuere tenorem.  
 Ductor cornipedis pectus transuerberat ingens  
 Acron hostilis: ruit ipse ab cuspidis ictu  
 Romana: fuluâque ferox extensus arena est.  
 Ocyus hoc viso gaudet Romanus, & acer  
 Desiluit, contraque hostem pedes apparat ire.  
 Nec mora: correpto scuto se surrigit Acron,  
 Fulmineumque caua vagina liberat ensem.  
 Hunc stirps Herculeâ, & generis promordia late  
 Nobilitant, curaque ultrices spretaque gentis  
 Gloria, & hostiles acuunt in bella cateruæ.  
 Illum Gradiuus pater, & cunabula prima  
 Exstructaque recens urbis fundamina, fama  
 Egregium vectant, ultrôque in praelia mittunt.  
 Ergo ubi conferto pede constitit acer uterque  
 In pugnam: torui ceu fortè in vulnera tauri  
 Concurrunt, sænos subigit quos bucula campis,  
 Immemoresque sui procul immemoresque pericli  
 Vulnificis se inter decernere cornubus ambos.  
 Illi indignantes multa vi praelia miscent

Alter

Alternantque ictus: lauit ater corpora sanguis,  
 Sub pedibusque gemit tellus, roboantque propinqui  
 Colles: atque imis condunt se sedibus amnes.  
 Haud aliter ductor Ceninus & acer in armis  
 Romanus, stricto coeunt in vulnera ferro.  
 Olli magna iam vi inter se praelia miscent  
 Alternantque ictus: ferit aurea sidera stridor,  
 Vulnificusque chalybs victus sub verbere cedit.  
 Hic ut fortè Acron hostem superoccupat, ecce  
 Fulmineum Iliades intentat de super ictum,  
 Et ferit: ille subit penetratque per arma cruentus  
 Ensis, quâ caput annexa compage ligabat  
 Cervix, & magno tandem de corpore strinxit,  
 Cenini: inde alios aliosque elatus in ictus  
 Feruidus insequitur, totoque agit equore victor.  
 Ast illi densis irrepit ceca tenebris  
 Nox, & dura quies languentia lumina claudit.  
 Genua labant, pulsusque fatiscit ab impete scutum,  
 Donec fatalem surgens Romanus in ensem,  
 Immanem fulua truncum prouoluit arena.  
 At Rex iam victor, iam caso cominus hoste  
 Indomito, fusiisque ingenti strage cateruis  
 Ceninum: primo rediens soluebat Eoo  
 Vota Ioui: binisque dedit thoraca petitum  
 Perfossusque locis tibi Iuppiter alme trophæum  
 Addidit, & clipeum ære grauem, præfractaque tela  
 Ensemque & galeam, & rorantes sanguine cristas.  
 Hunc Cossus sequitur Veientis cade Tolumni

M iij

Clarus Rex idem & genus alto à sanguine regum.  
 Ducebat, latèque vrbes ditione tenebat.  
 Nam pater Italiæ quondam frænauerat oras  
 Magnanimus, legesque Hetrusca per oppida fixit,  
 Veiorum imperitans vrbi gentique superba:  
 Post moriens nato mox debita sceptrâ reliquit.  
 At non fors eadem quæ tum maioribus æqua  
 Eualuit diri mentem placare Tolumni:  
 Nec solio patrio, aut regno contentus auito  
 Vtteriùs tendit, maioræque viribus audet.  
 Usque adeo inualuit regnandi dira cupido.  
 Non illi pensi quicquam perfâsque nefâsque  
 Querere, diuinis humanæque uertere iura:  
 Et pacem & bellum tentat non viribus æquis  
 Infœlix bello, pacis quoque perfidus author.  
 Idem Romulidum mauortia pectora sæpe  
 Nec quicquam expertus, fractus multisque repulsus  
 Cladibus, haud dubia mentem uelamine pacis  
 Dissimulat, patrio contentus uiuere regno.  
 At non ægra diu mens recto insistere quiuir,  
 Innatos renouat repetita perfidus arte  
 Mores: stat stricto rursus decernere ferro.  
 Intere à hostili preda auertit ab agro,  
 Et ferro vastans & flammis obuia quæque  
 Ille etiam missos repetitum seuus abacta  
 Legatos contra ius, contra & fœdera pacta  
 Pulsare est ausus uesana percitus ira,  
 Infontique ferus perfundere sanguine dextram.

Romulidæ

Romulidæ tantum indignati impune licere  
 Excidiùmque vrbi, & genti fera fata minantur.  
 Illicet ultrices aciunt in dura cohortes  
 Arma, & perfidiæ meritas iam sanguine poscunt  
 Hostili pœnas: stat ferro excindere gentem  
 Fœdis fragam, impura dominatam stirpe tyranni.  
 Ergo densatus iustis exercitus alis  
 Progreditur tandem, portisque patentibus exit  
 Et vastis totum campis sese explicat agmen,  
 Veientumque agris infert uictricia signa.  
 Nec mora: digestis Veiens occurrit in armis,  
 Inuisumque hostem, propellere finibus ardet.  
 Stant acies utrinque inimica torua tuentes,  
 Hostilique odio intentæ: clipeatæque latis  
 Agmina pro castris densantur luce corusca  
 Arata, strictisque seges mucronibus horret  
 Campis in mediis: fremitu procul omnia plangunt.  
 Tum demum in pugnam digestis ordine turmis,  
 Equatisque acies procedunt frontibus ambæ.  
 Nec dum & iam facies sese explicat horrida belli,  
 Sed placidus mediis tantum Mars ludit in armis  
 Iamque intra iactum uentum, cum nubila telis  
 Obscurant: densaque procul testudine cuncti  
 Excipiunt tuto uenientes de super ictus.  
 Postquam missilibus certatum est eminus: atque  
 Emissa è validis sunt pila minantia dextris.  
 Protinus aduersis inter se frontibus ambas  
 Cernere erat duris acies concurrere in armis.

Fit clamor: quantus cūm Iuppiter horridus instat  
 Et latè nubes cælo deuerberat alto.  
 Exoritur lituūmque sonus, clangorque tubarum:  
 Tympana, raucōque sonant caua cornua cantu:  
 Olli collatis miscent iam prælia signis.  
 Fulmineis geritur gladiis res cominus: atque  
 Districto feriunt Mauortia pectora ferro.  
 Ingeminant ictus, simul indefessaque cædi  
 Mutua conferti exercent per vulnera tela.  
 Dant sonitum syluæ, gemitu nemus omne remugit,  
 Et procul in densis resonant conuallibus arma.  
 Insultat sonipes, quassatæque quadrupedantum  
 Pectora pectoribus rumpunt discrimine nullo.  
 Semianimes voluntur equique virique per arua,  
 Largifluique undant per terram sanguine riuui.  
 Hinc exaudiri fremitus gemitusque cadentum  
 Victorūmque minæ: sæuit Mars dirus in armis,  
 Et toto passim victor dat funera campo.  
 Olli per ferrum intrepidi, per tela per hostes,  
 In cademque ruunt proni cupidique nocendi.  
 Harent laxatis misti cuneis, pede pèsque,  
 Confertique viro vir: multa vi geritur res.  
 Iamque adeò equato pugnatum est undique bello  
 Immotaque diu steterunt utrinque phalanges,  
 Cūm res Romanis fauit non læua triumphis,  
 Indomitūmque animi disiectis contrudit hostem  
 Signis, & penitus rem vertit funditus omnem.  
 Nam celeri prouectus equo qua prælia feruent

Accurrit

Accurrit dum subsidio, laxasque cohortes  
 Hastatos inter pugnaci milite firmat.  
 Ut vidit Cossus versantem turbine dextram,  
 Et densos inter spargentem fata maniplos,  
 Utque cruentatum, rorare aspergine corpus  
 Perfidia scelerūmque vomens malè fida venena,  
 Deuotūmque simul caput effulgere tyranni  
 Indomitūmque animi ferri, intrepidūmque pericli  
 Non tulit ulterius, sed multa turbidus ira  
 Infert se medium, medios moriturus in hostes.  
 En ait: en nostro qui sanguine fœdera rupit  
 Fœdisfragamque manum in sæuas exercuit iras.  
 Iuppiter inuicto seruas qui numine Romam  
 Auertisque ferum Romanis arcibus hostem,  
 Tempore quo pubem malè sustinere Sabinam,  
 Cūm primūm infaustis pugnaret Romulus armis  
 Desuper & victrix Capitoli summa teneret:  
 Hanc saltem ferro da nunc occumbere pestem.  
 Ipse tui figam sacrata ad limina templi,  
 Armæque & exuuias hostis de corpore raptas,  
 Dixerat: & rapidis volucer procurrit habenis,  
 Pronusque aduerso procumbens pectore in hastam,  
 Ingens ingenti pectus transuerberat ictu.  
 Extemplo turbata acies, fuseque cohortes  
 Veientum, geminis Romana palatia palmis  
 Ornarunt: Cossusque secundum insignibus ausis  
 Romulidum exaquans Regi sua fortia facta:  
 Ipse triumphata statuit de gente trophæum

N

Tertius insequitur fama quem gloria vexit  
 Sublimem, egregiumque tulit super aethera laude.  
 Ille quidem gestis non his, virtute nec impar  
 Nobilis è Marcellorum qui gente profectus,  
 Et proavos & avos, totamque ab origine stirpem  
 Praestanti fesus superavit robore dextra.  
 Reppulit hic Gallum indomitum gentemque ferocem  
 Millibus inuectam multis, Rhenumque bicornem  
 Traiectam, excipiens duris prostravit in armis  
 Virdomarumque ipsum spoliis tumefactus opimis,  
 Conserta occidit dextra, certamine equestri.  
 Virdomarum quo non fuerat praestantior alter  
 Flectere equum in gyros, saevumque insuescere bello,  
 Belgica vel forti tela intorquere lacerto,  
 Neu quisquam Belgas inter se aquauerit illi  
 Siue armare aciem, tectis seu fallere furtis  
 Hostiles turmas ignoto tramite caecas:  
 Seu loca praeripere armatis accommoda castris.  
 Occidit: atque olli Latius caput abstulit ensis,  
 Marcellumque manet iam debita palma trophæo.  
 Arma alij iactent, geminosque è gente triumphos:  
 Cesserit haud ulli insignem spolia ampla referre,  
 Non servata cui bis debet moenia Roma:  
 Itala contremuit quo motu maxima tellus,  
 Gallorum turbata metu, caecoque tumultu:  
 Tempore quo Cimbri Romanis dira minati,  
 Excidiumque urbi pariter gentique parabant.  
 Bis fusas acies pugnax Germania vidit

Victri.

Victricisque aquilas Gallo dare terga sequaci.  
 Italiam donec penetrantes agmine magno,  
 Millia quot voluunt procurva ad littora fluctus  
 Ionio in magno turbantes aequora Cauri,  
 Perdomiti Marij virtute ferocia corda.  
 In proprias demum non una clade repulsi  
 Disiectis sedes retulerunt signa manipulis.  
 Tertius hic ergo aequata virtute priorum,  
 Aetatis templi defixit postibus arma.  
 Hinc orta ex ternis spoliis est causa Pheretri:  
 Siue quia ante ducem feriat dux omine certo:  
 Siue ipsi gestant ex hostibus arma relata.

N ij



NICOLAI ALENI  
ESSENTIANI BV-  
COLICA.

ECLOGA I. MOERIS.

Corydon. Daphnis.



ORTE sub umbroso recubantes tegmi-  
ne quercus  
Extinctum Mærin Corydon & Daph-  
nis in unum  
Pastores ambo, primæ lanuginis ambo  
Ad vitreas Tamesis deflebant fluminis

undas,  
Et mæsto latè complebant carmine ripas.  
Dicite nunc iuuenum libeat memorare querelas.  
Dicite Pierides: nam motæ montibus Orni,  
Et stupefacta suos requierunt flumina cursus.  
Sic Corydon: cessit Corydoni exordia Daphnis.  
Cory. Hunc saltem ô quacûnque tenetis Naiades amnem  
Lugete, & sortem mecum miserescite iniquam.  
Extinctus quoniam crudeli funere Mæris,  
Et secum moriens hinc traxit gaudia nostra:

Mæri

Mæri tuum sæuos obitum ingemuisse leones,  
Informésque altis stabulantes montibus ursos,  
Et rigidas etiam motasse cacumina cautes,  
Vos testes, quorum pastores numen adorant.  
Fœlicem nimium hanc oram, fœlicia rura  
Dum te cultorem sensere per arua coloni.  
Hæc penitus nobis quando fortuna recessit.  
Infœlicem adeò hanc oram infœlicia rura.  
Hic aderas, aderant unà & Fauni Satyrique:  
Hic aderant Dryades, facilésque in vota Napææ:  
Hinc aberas, aberant unà & Fauni Satyrique:  
Hinc aberant Dryades, duræque in vota Napææ.  
Parcite pastores, pecus ô cohibete petulcum,  
Ne pergant vites dente attondere nouellas,  
Quas viridi liquit turgentes palmite Mæris.  
Quanquam (heu) fas nil inuitis bene vertere diuis  
Degenerasse putes, ipsis nunc semina sulcis  
Degenerasse putes etiam pecuaria cuncta.  
Omnis iam tauris curuus iuga soluit arator,  
Omnis & in latis errat iam bucula campis,  
Immemor herbarum, & seræ decedere nocti.  
Pro flauis culmis subeunt, pro mitibus vuis  
Sentésque & tribuli, & spinis paliurus acutis.  
Nos hic intereà mortis numerabimus annos  
Rura graui segnes passi torpere veterno.  
Labitur & tempus, labuntur sydera mundo:  
At non nostra tui labetur pectore cura,  
Spiritus hos agiles vitalis dum reget artus.

N iij

Quod superest, hosce in luctu transibimus annos,  
 Sera tuæ nimium venturæ tempora vitæ:  
 Idem præpropero questi decurrere fato.  
 Qualia populea mæret Rhodopeia Progne,  
 Extinctum ingeminans Irylum clamore sub umbra.  
 Forsan & hæc mitis cælo Deus audiet alto,  
 Pastorum inspiciens versas res funditus omnes,  
 Restituétque satis segetes, & vitibus alnum.  
 Humorem, arboribusque comas in pristina reddet:  
 Quòd si non facilis votis Deus annuat inde,  
 Te nos, hæc etiam deflebunt rura per agros.  
 Annuat & quamuis non indefletus abibis,  
 Usque tui nostro figis sub pectore curam,  
 Et tecum moriens hinc aufers gaudia nostra,  
 Sola mihi poterit mors hunc lenire dolorem.  
 Hæc Corydon: resonant gemitu vallésque propinqui,  
 Responstant montes, responstant flebile syluæ:  
 Subsequitur querulo sic demum pectora cantu  
 Demulcens, viridi Daphnis proiectus in herba.  
 Daph. Ut quæ te primùm nobis non læua tulerunt  
 Astra diem, nimium ô multis exhauste periclis,  
 Sic eadem quæ te crudelia fata tulerunt.  
 Illo non quadrupes libavit fluminis undam,  
 Nec repetita die solito præsepia more:  
 Inclusum stabat pecus in fœnilibus omne,  
 Te Mæri cupiens vitæ iam lumine cassum.  
 Hinc aberat Mæris, Mærin virgulta sonabant  
 Te syluæ Mæri, te pascua læta vocabant.

Lætæ

Lætæ prius, nunc incultis tantùm horrida dumis  
 Credo equidem, & tanto tellus inuidit honori,  
 Nec nos hunc voluit nec quicquam ferre dolorem:  
 Hic quondam suberant riguis violaria campis  
 Muscosique amnes lucique & amœna vireta,  
 Pampine æque dabant curuata umbracula vites:  
 Omnia sponte sua quondam tulit omnia tellus,  
 Nec nostri fuerat expers hic tractus amoris.  
 Te Mæri Daphnis: fuerit sua cuique voluptas.  
 Nec te non, quamuis solitum mireris Olympi  
 Limen, dispudeat pecoris diuine poëta,  
 Et pulcher tauros Admeti pavit Apollo  
 Vpilioque fuit primæui floris Adonis.  
 Quanquam (ô) iam libeat depromere condita mentis,  
 Quæ te tam subito crudelia fata tulerunt?  
 Te procul umbriferis fleuerunt Mœnala syluis,  
 Quæque niue assurgunt fœtæ Rhodopeia arces:  
 Iamque suum ereptum queritur sibi Phœbus amorem.  
 O quantus qualisque suum caput extulit ingens:  
 Quantus & in clipeum solitus consurgere fortis,  
 Dum tonat eloquio doctæ sub Palladis armis,  
 Ægidæque horrificam quatit, heroasque refellit  
 Obscura regione, viamque affectat Olympo.  
 Mæri decus meritò nostrum, quo sospite nunquam  
 Euersas res pastorum nec rura fatebor.  
 Ipsa suum venerata Pales, pastorque Lycaeus,  
 Hæc auersati liquerunt numine rura.  
 Sape tuum aspiciens tumultum, dum fortè viator

Seu pedibus transit sub iniquo fasce grauatús,  
 Magnorum seu longinquas dimissus in oras  
 Imperio regum, tumidis secet æquora velis,  
 Votaque pro reditu persoluat debita diuis:  
 Hoc præter penitus bustum non immemor ibit,  
 Sed tacitus secum has fundet de pectore voces.  
 Fælices cineres quorum complectitur ossa  
 Tellus: quos patrio voluit superesse labori  
 Nimbipotens: manet æternum manet inclyta fama:  
 Fortunate operum: tu nunc eris alter ab illo.  
 Fælicis pecoris custos, fælicior ipse.  
 Ut pratis decori viola est, ut lilia campis  
 Purpura Narcisso, matura vitibus uua  
 Temporibus nostris: sic tu decus omne fuisti.  
 Te moriente simul perierunt commoda nostra.  
 Audiit has Tamesis sera sub nocte querelas,  
 Et vitreis admiratus caput extulit antris:  
 Audiit: & Phæbi iussit perdiscere lauros:  
 Hæ referunt: procul inde sonant gemitumque dedere  
 Et pulsæ sonitu surgunt ad sydera voces.  
 Vos etiam ex imis gemuistis Naiades undis.

## ECLOGA II.

AMYNTAS.

**S**ederat æstiuos nemora inter frondea solis  
 Declinans æstus muscosi fontis ad undam,  
 Carmina per varios cantus meditatus Amyntas,  
 Dum

Dum pecus in molli procumbens ruminat herba.  
 Illum admirati Fauni Satyrique procaces  
 Accurrunt: densaque virum cinxere corona:  
 Vos quoque Hamadryades vestris properastis ab antris,  
 Namque senescentis canit incunabula mundi  
 Quis rerum sator: unde homines pecudésque creati,  
 Quis deinde informi digessit semina mundo  
 Rerum elementa locans, terrasque libauerit æthra.  
 Oceani terras inclusit obice vasto.  
 Quasque vices tortos peragant errantia in orbes  
 Ut fratris surgat radiis obnoxia Luna.  
 Ut Phæbus curru duodenis sedibus errans  
 Dimensis anni percurrat tempora signis.  
 Quid demum hyberni properent se tingere soles  
 Oceano: tardamque trahant sub gurgite noctem.  
 Sydera quid signent Arcturi, quidue Bootes.  
 Pleiadesque diésque Hædorum & lucidus Anguis  
 Tempora quæ pastor, quæ curuus seruet arator.  
 Addit Triptolemi præclara reperta per orbem,  
 Ut volucris inuectus tranauerit æthera curru.  
 Cecropidumque refert pœnas, his corpora septem  
 Annua natorum iussos dependere monstro.  
 Dædalus ut tandem iuuenem direxerit arte  
 Caca regens ducto tenui vestigia filo.  
 Hinc Ariadnæum versat sub corde dolorem:  
 Infælix Minoi, ab, quæ te insania cepit?  
 Ille viam ventis Ægæa per æquora sulcat.  
 Quæ non intereà latè loca questibus implet

Perfide deserto te quarens littore Theseu?  
 Ipse suo demum miseratus numine Liber:  
 Liber pampinea redimitus tempora fronde,  
 Omnis quem Satyrúmque chorus, Fauníque sequenti  
 Frondibus intonsis circum caput innectentes.  
 Te cupiens Ariadne, tuo succensus amore.  
 Venerat & senior tardo Silenus a sello  
 Pallentes hederas, & mista papauera quassans.  
 Illam adeò Armenia deducta sub iuga tigres  
 Sublimem rapido vectant ad sydera cursu,  
 Gnostiáque ardentis nunc seruat nomina stellæ:  
 Subiicit, & seuas geminorum detegit iras  
 Tantalidum, & fratri quæ dona parauerit Atreus  
 Infontique ultrò fœdarit sanguine dextram.  
 Protinus hoc viso nubí se condidit atra,  
 Inuisaque auersus equos sol iunxit ab urbe.  
 Hinc addit rutilum voluentes naribus ignem.  
 Cum malè commissas cohiberet rector habenas,  
 Desuper & præceps raperetur nubibus actus.  
 Ilicet arserunt flammis Peneia Tempe:  
 Arserunt Rhodope, celsi que cacumina Pindi,  
 Ipse pater donec summi de vertice Olympi,  
 Totam despiciens flammis depascere terram,  
 Fulmina terribili torquet flagrantia dextra,  
 Aurigámque ipsum pulsantem sydera curru  
 Exanimem voluens cælo deturbat ab alto.  
 Adiicit & fletus & lumina mæsta sororum,  
 Dum tereti tandem circumdat pectora libro.

Inde

Inde venenatos serpentis semina dentes  
 Armatosque refert duro de semine natos.  
 Nec te præteriit saua de cæde relictum  
 Aspera mulcentem mouisse in mœnia saxa  
 Threiciis fretum donis, & Apollinis arte.  
 Hinc canit errantem nemorum per deuia Adonim,  
 Cursu dum lepores, certat dum figere damas,  
 Et ruere immanes contendit viribus apros.  
 Alma suum Venus híc non dedignetur Adonim  
 Flere, nec erectas ad sydera tollere palmas:  
 Artus cum iuuenis multo complexa fluentes  
 Tabo, & crudeli fœdatum vulnere corpus:  
 Quos non illa deos immiti saucia cura,  
 Quos saltus, quas non incusat denique sylvas?  
 Illam adeò perhibent totas ex ordine noctes  
 Implentem, mæstis latè clamoribus Ornos  
 Deuia per nemorum, pérque inuia lustra ferarum,  
 Immemorémque sui solos errasse per agros.  
 Hæc cecinit magna Satyrum mirante corona,  
 Inflat dum calamos muscosi fontis ad undam,  
 Carmina per varios cantus modulatus Amyntas,  
 Donec præcipiti delapsus vesper Olympo,  
 Cogere oues monuit stabulis, hædósque petulcos.

O ij



## E C L O G A III.

A S T Y A N A C T Æ A.

Damon. Pausilypus.

**P** Rima leues non erubuit dare fistula cantus  
 Nostra, nec in syluis sedes optare Thalia.  
 Cum me in Aonium conarer tollere cliuum,  
 Et mollis manibus fastigia prendere summa  
 Niteris incaustum: non hæc tibi numine lauo  
 Visere fas loca Phæbus ait, nec scandere rupis  
 Ardua: non facilis venit hinc tibi lecta corona:  
 Tu mihi gemmiferi seruas qui cerula ponti  
 Indomitamque trahis Magaden victricia in arma,  
 Seu tu Taprobanen certas defendere Marte  
 Indorumue paras arcere à finibus hostem,  
 Qui nunc armatus muros circumsonat urbis  
 En erit illa dies, quando auxiliaribus armis  
 Aggere signa tuo figam, gentemque rebellem  
 Communi sternam Marte, & præstantibus ausis.  
 Carminis interea cceptum redeamus in orbem:  
 Pastorum Musam Damonis Pausilypique  
 Quam simul aduersis studiis dum tendere certant,  
 Hic melior cantu, hic bifores inflare cicutas,  
 In longum iactant, mulcentes carmine Nymphas  
 Dicere nunc libeat: Vix primos Lucifer ortus  
 Signarat iubare auricomo, tenebrasque fugarat  
 Cum pecus è stabulis solito de more reducunt

In

In pastum, niueosque greges in gramina mittunt:  
 Dum ros in dumis pecori gratissimus humet:  
 Ipsi lustrantes oculis latè omnia circum  
 Sicubi vel quercus, aut ingens ilicis arbor  
 Surgat, & immensa ramorum protegat umbra  
 Hic confederunt: tum sic prior ora resoluit  
 Pausilypus: Quin, iam quoniam conuenimus ambo  
 Et medium feruet violentior actus in orbem  
 Phæbus, alternis modulamur carmen auenis.  
 Sæpe etenim memini (fuit & tibi si qua voluptas)  
 Arguto solitum deducere carmine nymphas  
 Cum tibi certamen fuerat cum Thyrside magnum,  
 Victorque auferres diuini præmia ludi,  
 Pocula bina sui dederat quæ pignus amoris  
 Antigenes, & erat laudari dignus uterque.  
 Immo hæc si qua mihi potuit superesse voluptas  
 Effæto senuit paulatim in corpore tota.  
 Quandoquidem mihi non vires iam carminis author  
 Sufficit, aut animum Phæbus: nec me iuuat ipsum  
 Ignaros inter miserum disperdere carmen.  
 Quin agè, si quid habes nos quando hæc arbor opacat,  
 Incursumque lupi pecori procul arcet Agæne  
 Hic proferre licet: nam & mihi carmina cura,  
 Et me dii (si quid merui) fecere poetam.  
 Quid canerem: nam nec subeunt mihi iurgia Codri,  
 Nec mihi quod certamen erat cum Thyrside magnum,  
 Hic tamen ille inter solitus strepere anser olores  
 Incipe: pascentes seruabit Cherilus agnos

O ij

Incipe: nec diuine tui te carminis unquam  
 Pertæsum sit: erunt etiam tibi nostra vicissim  
 Carmina, queis magnum potui domuisse Syloin.  
 Dicite quandoquidem in densa consedimus umbra  
 Quæ tantum tenuere nefas, quibus acta repente  
 Has oras penitus liquerunt numina magna.  
 Dicite Hamadryades: quanquam nil testibus istis  
 Proficio: nec me tantum iuuat usque loquutum.  
 Lugete ô mæsta mecum, ô lugete Napææ.  
 O si fortè meus mecum nunc afforet Almon,  
 Quos gemitus, quas hic traheret de pectore voces,  
 Nec gemitus lacrymæque valent auertere culpam:  
 Nec talis nunc auxiliij, aut tutaminis huius  
 Tempus eget: calamos inflent quos ludere par est.  
 Lugete ô mæsta mecum, ô lugete Napææ:  
 Haud ego credideram exigui ut possessor agelli  
 Horridus in iaculis, longinquis missus ab oris  
 Diceret: hinc veteres vos hinc migrate coloni,  
 Hac mea sunt: iuuat insano indulgere labori,  
 Spiculæque in Getico torquere Cydonia cornu.  
 Lugete ô mæsta mecum, ô lugete Napææ  
 Iam nunc squammigeri horrebunt freta concita pisces  
 Et vitreum longè Tamesim bibet Indus Hydaspes.  
 Nunc certet bubo cygnis, capræque fugaces,  
 Et timidi canibus socient simul agmina cerui,  
 Exaquétque Lino seuus sua carmina Timon:  
 Timon in syluis, pelagi sub gurgite Proteus.  
 Lugete ô mæsta mecum, ô lugete Napææ

Sæpe

Sæpe ego cum effæctus caneret frondator ad auras,  
 Nec dubitaret humo summum mandare cacumen,  
 Parcite, ô, dixi & viridem ne excindite truncum,  
 Ne pereant vestris dispersita semina rebus,  
 Nec reparata nouo surgant plantaria libro.  
 Lugete ô mæsta, mecum ô lugete Napææ  
 Arce pecus lymphis ne noxia flumina potent.  
 Túque procul nostras Melibœe tenere capellas  
 Sis memor: ah viridi sub cespite delitet anguis  
 Horridus: infecitque undas mala gramina pastus  
 Lubrica conuoluens sublato pectore terga.  
 Lugete ô mæsta mecum, ô lugete Napææ:  
 Redde mihi tete Phyllis mea sola voluptas,  
 Suffice mi frondes humilémque è more genistam,  
 Amaracum thymbrámque herbas infunde & olentes:  
 Hic mecum tenui libeat habitare sub umbra:  
 Aut tibi si cordi non sunt mea pinguia culta,  
 Hæc effæta tua pendebit fistula quercu.  
 Lugete ô mæsta mecum, ô lugete Napææ,  
 Nunc Methymnæum impavidus secet equore pontum  
 Curui subuectus dorso Delphinis Arion.  
 Exceptum quoniam falsa sub prodicione  
 Precipitem se puppi deturbant in vada nautæ.  
 Ille secans fluctus fouet Oceanitidas omnes  
 Carmine Lesboo fretus fidibusque canoris:  
 Amplius haud terris debetur gloria tanta.  
 Lugete ô mæsta mecum, ô lugete Napææ,  
 Spargite purpureas violas, date lilia plenis:

O calathis nymphæ, tantoque assurgite alumno  
 Vobis tantus honos, vos hæc curare decebit,  
 Nos tantum famam hic aureis attollimus astris.  
 Lugete o mæste mecum o lugete Napææ:  
 Ibo, quæque Solonæo sunt condita versu  
 Nunc Cilicas inter Sicula modulabor auena,  
 Hæc tanquam nostri esse queat medicina doloris:  
 Quanquam nec lachrymæ nobis nec carmina profunt.  
 Iam luctum cohibete o iam cohibete Napææ.  
 Hæc Damon: vos quæ responderit orsa vicissim  
 Pausilypus referens, vestrum hoc: dicite Musæ.  
 Pauſi. Parce metu Damon: non luctus tempora poscunt,  
 Non lachrymas: nec enim iuuat indulgere dolori.  
 Altera iam fatis voluenda superuenit ætas  
 Aurea Saturni, redeunt nunc secula nobis,  
 Falcifer in Latio, armisonos interque Britannos  
 Astyanax: manet hæc fama Astyanactæ, refusus  
 Usque coloratos qua stagnat pontus in Indos.  
 Spargite nunc florum nimbos, nunc spargite nymphæ,  
 Alma Thetis rursus non dedignabitur alto  
 Peleæ magnanimum vinclo sociare iugali.  
 Hunc mirabuntur vitreas Galatæa per undas,  
 Et Doris Spio Panopæaque Cymodocæque,  
 Et quot prætereà Nereo genitore sorores  
 Nymphæ omnes, pelagi decus Oceanitides omnes.  
 Spargite nunc florum nimbos, nunc spargite nymphæ.  
 Nascetur forma insigni cristatus Achilles,  
 Fama qui totum terrarum compleat orbem

Cuius

Cuius in imperium iam barbarus ibit Araxes,  
 Horrebitque illum Eufrates dum fulminat armis,  
 Et victor populis dat iura: viamque recludit  
 Sydeream flagrans magni spes altera mundi.  
 Spargite nunc florum nimbos, nunc spargite Nymphæ.  
 O præstans animi iuuenis, tibi fundet odores  
 Sponte sua tellus, constratæque salsa quiescent  
 Cærule, dum fidens delectæ robora pubis  
 Deuehis in fines Colchorum ad Phasidis undam,  
 Auratæque refers pallentia terga metallo.  
 Spargite nunc florum nimbos, nunc spargite Nymphæ,  
 Hæc quondam Parca Diui omnipotentis ad aram  
 Concordes stabili torquentes pollice fila.  
 Talia iusserunt fufis decurrere secla:  
 Voluentes quæ sint, & quæ ventura trahantur,  
 Quæque ignota diu potuit superare vetustas.  
 Spargite nunc florum nimbos, nunc spargite Nymphæ,  
 Mella fluent illi, rorabunt nectare syluæ  
 Turbidæque albentes deuoluent flumina lactis  
 Riuos, Assyriumque feret rubus asper amomum.  
 Hinc aberit lupus, & maculosus terga chelidrus  
 Et tellus quæ non innoxia semina fundit,  
 Semina quæ sæpe infestæ legere noueræ  
 Lurida terribili miscentes pocula tabo.  
 Spargite nunc florum nimbos, nunc spargite Nymphæ,  
 Iam pater Æneas victricia signa refiget,  
 Sydereo flagrans clipeo: nunc condet in antro  
 Tityrus arma virum propter vaga flumina Minci,

P

Mæoniámque lyram pulsabit pectine eburno,  
 Dum simul Heroas canit, heroúmque labores  
 Sortitúsque altos quos pertulit ipsa iuuentus.  
 Spargite nunc florum nimbos, nunc spargite Nymphæ.  
 Multa tamen restant iam nunc peragenda sub ipso,  
 In mare purpureum armatas deducere classes,  
 Et latè circum castella sedere sub armis  
 Obsidione urbes premere, & circundare vallo.  
 Spargite nunc florum nimbos, nunc spargite Nymphæ.  
 Alter erit Simois, & pinguis culta rigabit  
 Xanthus: dispositéque aderunt utrinque cohortes,  
 Et Rhæsi niueis stabunt tentoria velis,  
 Sentiet ipse suas animosus pectore clades  
 In decimum Danaos Hector qui distulit annum.  
 Spargite nunc florum nimbos, nunc spargite Nymphæ,  
 Ipse ferens victor læto spolia ampla trophæo  
 Turrigeras centum heroum stipante caterua  
 Urbes inuectus, multo spectabilis auro,  
 Regalique unà incedet conspectus in ostro,  
 Armæque quarta patri suspendet capta Quirino.  
 Spargite nunc florum nimbos, nunc spargite Nymphæ,  
 Ibunt & pariter pueri innuptæque puella  
 Carminibus laudes atque inclita facta canentes,  
 Et festo circum resonabunt littora plausu,  
 Votæque persoluent longæ debita matres.  
 Spargite nunc florum nimbos, nunc spargite Nymphæ,  
 O qui me gelido Parnassi in vertice sistat,  
 Aurea Phœbus ubi permulcet sydera cantu,  
 Musa-

Musarúmque chorus ludunt pernixe chorea,  
 Aut qua nocturno resonat clamore Cythæron,  
 Iam tanto fidens valeam superesse labori.  
 Spargite nunc florum nimbos, nunc spargite Nymphæ,  
 Nunc mihi nec videor disperdere carmen inane,  
 Nec quos Phœbus amat comitantur numina læua.  
 Cedite pastores: vobis exorsa resurgunt  
 Tanta: manet cura hæc & vos pecorisque magistros  
 Panæque qui primus bifores inflare cicutas  
 Admonuit: mistisque vagari in Mænala Nymphis.  
 Spargite nunc florum nimbos, nunc spargite Nymphæ,  
 Surgamus: serus properat iam vesper Olympo  
 Coge pecus Daphni, numerúmque referre memento,  
 Cætera nam vario cecinerunt omnia cantu.  
 Pastores gracili meditantes carmen auena,  
 Qua flauis rapidus deuoluitur Vmber arenis:  
 Vmber agens fluctus longè fremitúsque marinos.  
 Sistite nunc florum nimbos, nunc sistite Nymphæ.

## ECLOGA IIII.

THEON.

Ægon. Amyntas. Lycidas.

Venerat Albionis quondam armipotenti ad oras  
 Ægon, vicini non infimus accola ponti.  
 Isque suos nostro dum cannabis explicat orbes  
 Littore, & ad solem suspendit retia rara

Sed tibi quid luctum mouet, aut quid adire labores:  
Impulit hosce, tuæ ut fastidia longa tenerent  
Vita: fare age & hac ediffere vera roganti.

Ægon. Dicam equidem: nec te quærentem multa morabor.

Ille meos quondam teneros qui vexit amores  
Luce magis puero charus mihi, prima reclusit  
Optatæ postquam solers fundamenta vitæ,  
Et gressus studio annixus firmavit herili,  
Disparibus calamisque pedum dedit ordine ductum,  
Et circum nodis operoso ex ære reuinctum,  
Quo dare diuinos solitus fuit ante canores,  
Panæque pastoresque sequi, lucosque virentes.  
Primus & a decimo me tum annus ceperat alter  
Cum sylvas docui magnum resonare Theona.  
Nec domino cessi: quamuis iam gaudia pectus  
Pertentent tacitum, & studio lætetur inani  
Sensibus hos imis haustus, animoque reponens.  
Creuerat una atas: primæ vos creuit in artus  
Ignis, & in teretis signavi cortice trunci:  
Cresces tu dixi: vos & crescetis amores  
Hæc ubi ubi semper mea gaudia tellus habebit.  
Nec longum tempus venit, & superobruit ista  
Mista repentino discors insania luctu.  
Nam tantas cui speravi per soluere grates,  
Æternæque miser deberi premia laudis,  
Heu vitæ merito spes olim nostra futura  
Occidit, & moriens euertit commoda nostra.  
Hinc fluere, ac retro simul omnia lapsa referri

Interiit

Interiit pecus, & pecoris spes annua proles,  
Inque suo tellus mentita est semine vires.  
Quid facerem? nam iam casus consorsue laboris  
Haud super ullus erat mihi, curarumue leuamen.  
Subsedere ignes soliti, sensimque medullis  
Elapsa est flamma, & moribunda recessit in auras.  
Crudeles sylvas dixi, crudelia rura:  
Vos testes Fauni, & fluuialia numina Nymphae.  
Deserui inceptum: lucosque exosus ad unum  
Quas ego non oras, quæ non loca questibus altis  
Impleui, solisque erravi mæstus in agris  
Agris & tesquis & littoribus desertis.  
Verum ubi nulla datur mentem exuperare potestas,  
Nec potis est animus sæuam lenire dolorem,  
Alterius studij (quanquam nec me iuuat hilum)  
Prosequor infelix paruum noménque decusque.  
Et nunc huc tendo nunc illuc carbasa ventis,  
Inque meum moueo luctum Nereidas omnes:  
Hæc vitæ ratio, nostrorum hæc summa laborum.  
Quin age: quandoquidem nostras venis hospes in oras, Amynt.  
Hic pastoralis libeat succedere tecto,  
Rosida sunt nobis ramis pendentia mala  
Sunt & castaneæ, nec desit copia lactis.  
Quod superest: hæc nobiscum sub tegminis umbra  
Nunc recuba: mæstumque para lenire dolorem:  
Nam tibi non penitus studium hoc de pectore cessit.  
Atque equidem memini quondam cum finibus istis Lyci.  
Sedibus è patriis excitus in hospitis arua

Venisset Polypus, victum discedere Thyrsin.  
 Vidi: pœnituitque ausum contendere frustra,  
 Illum ego poscebam tanta in certamina fidens,  
 Et fors vicissem patruus ni staret iniquus:  
 Interea tantum nostro concede petito  
 Hæcque etiam tellus discat resonare Theona.

Ægon. Dirigit sensus: torpent in corpore vires,  
 Ingeniumque ipsum nullo desuescit in usu.  
 Multa prius cecini: nouit Dea conscia luctus,  
 Fumida quæ tristi contorquet spicula flamma,  
 Curarumque æstus, liquefactaque pectora versat.  
 Verum quandoquidem tanta est audire voluptas  
 In me nulla mora est, nec iam parere recuso.  
 Tantum quo fiat nunc copia utriusque petiti:  
 Hæc eadem libeat cecinit qui Daphnidis ignes  
 Dicere: namque huius mira est mihi facta cupido.

Lyci. Daphnis amor nostrum communis: Daphnide in uno  
 Latamur, reducemque precamur in astra volentes.  
 Incipe si quas Daphnis habes iam dicere laudes,  
 Incipe: tu veteres cantus reuocabis Amynta  
 Tu maior: fandi dantur tibi prima relata.

Amynt. Prima suum potuit fœlici sydere Daphnim  
 Hæc tellus nouisse satum: primusque camænis  
 Dicetur nostris: illi libamus honores  
 Primitios Musæ: meruit nam talia Daphnis  
 Ille greges nobis balantum armentaque leta  
 Atque errare dedit, nostris ut cernis in oris  
 Ludere quæque ipsi vellemus, ut esset & herbis

Non

Non indignus honos, calamisque insuescere saltus  
 Innocuum foret: ipse bonus petit otia Daphnis:  
 Otia queis fruimur, solidumque haurimus amorem.  
 Aspice nunc quanto consurgant palmitè vites,  
 Rideat ut tellus, & germine turgeat alma,  
 Floribus ut variis depingat Dædala vires,  
 Purpureumque decus, lætosque effundat honores.  
 Sponte sua veniunt nullo cogente sub auras  
 Omnia liberius: nunc omnis parturit arbor:  
 Nunc redeunt segetes: nunc formosissima secla.  
 Omnia quæ meruit Daphnis: moriturus, & inquit,  
 Hæc olim nostri vobis monumenta manebunt.  
 Insere nunc Lycida malos, pone ordine plantas,  
 Carpent securi victus tua poma nepotes.  
 Amplius haud prisca suberunt vestigia fraudis,  
 Nec iam thuricremas vectabit nauita merces  
 Diues odoriferos prouectus ad usque Sabæos:  
 O qui me Pelusiæ nunc sistat in oris,  
 Lata papyriferi qua stagnant ostia Nili,  
 Spectent regifico ductas ad sidera luxu  
 Pyramides: aut qua diues fortuna sepulchri  
 Stat Mausolæi: quirem tum dicere saltem,  
 His tu dignus eras: ornaremque insuper ipsum  
 Purpureis florum fertis lætabile bustum:  
 Nec dedignarer tumulo superaddere carmen.  
 Daphnis ego fama nunc usque ad sidera notus,  
 Fœlicem exegi vitam fœlicior ipse.  
 Salve magne parens, nostris regnator in aruis,

Q

Iam tua sublimem se gloria tollit in astra,  
 Præpetibúsq; alis longos dat in aethere gyros,  
 Fortunate operum, lux o clarissima nostrum.  
 Dum freta proscindent squamosi cæcula pisces,  
 Aëriq; dabunt montes stabula alta ferarum:  
 Dum auras vitales, Lycidas, dum carpet Amyntas,  
 Nulla tuum nostro subducet carmine nomen  
 Ætas: quo me cùmque vocent crudelia fata  
 Semper honos operumque tua inclyta fama manebit.

Ægon. Quæ puer o tibi nunc tali pro carmine donem  
 Namque viatori non tantum gratus in umbra  
 Fesso muscosus fons, cum grauis æstus hiulcat  
 Squalentes agros: pluuij nec sibilus Austri.

Lycidas. Ecquid ut ad numerum fidas admoueris aures  
 Te pulcher Daphnis, te quicquam oblectat Amyntas?  
 Tuque etiam stares promissis, æqua fuisset  
 Si modo mens: foret aut si quod solamen in agris.  
 Audiit hæc Ægon: surgensque sub arboris umbra  
 Procera innitens quercu sic edidit ore.

Ægon. Extinctum quondam crudeli morte Theona  
 Fleuerunt vitreis formosæ Naiades antris,  
 Naiades & Dryades, facilesque in vota Napææ,  
 Vos testes syluæ, & fluuialia numina Nymphæ,  
 Arborei fœtus cum passim, glansque caduca  
 Deficeret, virésque suas iam terra negaret,  
 Atque imis mæsti starent in sedibus amnes.  
 Illum populifer Padus, miseratus ab alto,  
 Fortunate inquit, tuâ si te terra teneret:

Nam

Nam tua quæ quondam surgebant culmina ad auras  
 Dum patriam remeans externis degis in oris  
 Clausa sub informi limo nunc possidet alter.  
 Dixerat hic aliquid magnum, & vim haud abfore verbo  
 Crediderat ruri succedens inuidus Hemon.  
 Pascite ut ante greges: nobis nam gloria tanta,  
 Debetur: poscunt iterum sua rura Theona.  
 Dixerat hæc Hæmon: luserunt sentibus arua,  
 Sentibus & tribulis & vulnificis vepretis.  
 Cinge peregrinam circum tua tempora vittam  
 Damon, & pastoralis circumtegat altè  
 Obductus talis pero, gestamina quondam  
 Illius: his hædos suerat cohibere petulcos  
 Vitibus, & pecudes nocuis arcebat ab undis.  
 Hæc tibi nam cessit curis deperditus Ægon.  
 Finibus his ego te vidi pulcherrime rerum,  
 Montibus Arcadiis facilem deducere Pana,  
 Primus in agresti cecinit qui carmen auena.  
 Cum tu sollicitum gestans in rebus egenis  
 Pectus, quam non Phillyridis deprompseris artem  
 Chironis: docuit nam doctus talia Chyron.  
 Et dixi: magni spes nobis altera surgis,  
 Saltibus in variis cum pascua leta tenerent  
 Pergite, ait, fluuio pecudes mersare salubri,  
 Ne mala per totum serpent contagia vulgus  
 Hæcque Theon: dictis stultus subrisit Opheltes.  
 Nunc ego Idumæis referam tibi gramina palmis,  
 Nunc carpam solers teneros ex arbore ramos,

Q ij

Omnia quæ nostri statuam tibi pignus amoris.  
 O tibi si longè fuerint mea carmina cordi,  
 Tum longas quirem diffundere voce querelas.  
 Interea sola percurram carula pinu  
 Fluctibus æquoreis mœstum solatus amorem,  
 Agrorum quoniam extincti de pectore curam.  
 Ut riguis decori suberant violaria campis,  
 Utque aruis segetes, hortisque rosaria amœnis,  
 Tu decus omne meum, pastorisque inclitus inter  
 Nominis æternum meruisti nobilis æuum.  
 Plura dolor prohibet: pressoque obmutuit ore.  
 Carmina digna Theone tuo sunt: dignus & author,  
 Diuinumque canis carmen diuine poëta,  
 Par desiderium, similis nos cura remordet,  
 Non tua laus ultra potis est extendere sese.  
 Surgamus: nam densa nocet cantantibus umbra,  
 Umbra grauis taxi, deuexum claudit Olympum  
 Vesper: precipitansque cadit ros noxius alto.

F I N I S.

 IN ARATVM AB ALE-  
 NO ANGLO VERSVM.

Cvm sole & luna semper fore dixit Aratum,  
 Dum caneret teneris Naso iocosa modis.  
 Non tamen ille ioco tunc vaticinatus inani  
 Verba tot est certam non habitura fidem.  
 Iam solis lunæque vias dum lustrat Aratus,  
 Littore ab Eoo venit ad Hesperium.  
 Iam Cicero Latiis, & iam Germanicus oris  
 Verterat Ausoniis carmina Græca sonis.  
 At nunc ecce alium cum sole perennis in orbem  
 Trans maris Oceani venit Aratus aquas.  
 Nunc ut Arioniam Siculus per carula Delphin  
 Dicitur in tergo sustinuisse tyram.  
 Sic tu Delphinus velut alter Alene Britannus,  
 Dulce vehis patrium per mare vatis onus.  
 Sed non ut Siculi, sic littoris ora Britanni  
 Vllius infesta est fraude Latrocinij.  
 Nec, Methymnæo vati quod contigit olim,  
 Quæsitum terra detrahit vnda lucrum.  
 Portubus est illis, est illis semper in vndis,  
 Gens hominum doctos prona fouere viros.  
 Quos Hertfordiadum Musis domus alma tuendis  
 Auget larga suis auxit & usque bonis.  
 Hanc habet, & Comitum te prime Semaure, benignum  
 Littus Arateæ portitor iste lyra.  
 Carminis hinc pretium, quantum non sumpsit Arion,  
 Sumet Alenus, & has tutus habebit opes.

I. Aratus.



ΕΙΣ ἌΡΑΤΟΝ ἈΛΗΝΟΥ  
ΒΕΙΤΑΝΝΟΥ ἐπίγραμμα.

Λέν ἄμ' ἠελίω μὴν τε ἔσθαι Ἄρατον  
κρίτων πρὶν ποτ' ἔφη παιδὶνὰ μελιζόμλιθ'.  
οὐ μὲν παίζωμ τῆνθ' ἐδέσσειε μάτ' παρὰ καιρὸν  
τόσση, καὶ ἀφ' αὐδοῦς πίσιθ' ὄρφαλ' ἔπι.  
ἦδη γὰρ μὴνης τε τρέχων δέμον, ἠελίου τε,  
οἶνθ' ἀπ' ἠώης ἠλθεν ἐφ' ἑσπερίω.  
ἦδη καὶ κικέρον καὶ γερμανικὸς μετένεικαμ  
αὐσονδὸς αὐσονίοις γραμμά μὲλη μέλεσι.  
κῶ δ' ἄρ' ἄμ' ἠελίω ἠπειρομ Ἄρατος δὲ δῆλω  
ὄκα νοῖο ἑσῶμ ἀντιπέρω. ἔμολε.  
κῶ ἄτ' Ἀειονίω κιδάρω ἀπ' ἠνθὸν ἐπ' ὤμοις  
τόμ δελφίνα δοῦρ φασὶν ἐνεκίμειναι,  
εἰς σύ γε δελφίνοιο δῆλω φίλ' ἄλλωε βειτάννου  
μουσπύλου δὲ ἀλὸς φόρτομ ἐλαῖς γλυκέρωμ.

κάρωλος οὐδὲν-ό-βιθ'.

SONET PAR YVES DESFORGES  
A SON AMY ET COMPAIGNON  
NICOLAS ALLEN.

*Tu ne pouvois choisir un sujet plus durable  
Que celui que ce Grec traitta premierement.  
Tout autre s'enueillit, vaincu du changement,  
Mais nous voyons du ciel l'ordonnance immuable.  
Tu ne pouvois choisir un Seigneur plus aimable,  
Pour sacrer ton labeur: Arat plus doctement  
Ne se pouvoit traduire: ainsi heureusement  
Vivez, tous trois heureux, d'un sujet memorable.  
Donques mon cher Allen, soit loüé le Seigneur,  
Qui prend soing des humains, & nous a faict cest heur  
De nous rendre tous deux seruiteurs d'un tel maistre:  
Qui n'a rien de plus cher que d'aimer la vertu,  
Dont chacun le cognoist tellement reuestu,  
Que si morte elle estoit, il la feroit renaistre.*

IN PERICVLIS CONSTANS.

